QUAESTIONES HESIODEAE ET ORPHICAE

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE HALENSI
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HANS BUSE

ELRICENSIS

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT EHRHARDT KARRAS G. M. B. H.

MCMXXXVII

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulerunt
Otto Kern et Franciscus Specht.

Examen rigorosum
habitum est a. d. XIII Kal. Iun. MCMXXXVI.

OTTONI KERN

PRAECEPTORI CARISSIMO
PIETATIS ERGO

Conspectus capitum.

Caput primum.

De Veneris natalibus.

Initium disputationis faciamus a Veneris ortu, qua in quaestione disceptanda a Iacobyo[1]) inita viri docti usque ad hoc tempus non mediocriter versati sunt[2]). Ac plurimum de versibus 196 et 199—200 disseruerunt; quam ob rem de his versibus paulo uberius mihi agendum est, priusquam ad totam narrationem me convertam. Omnes interpretes et editores inde ab Heyneo et F. A. Wolfio usque ad P. Mazon et Iacobyum versus illos supra laudatos iniuria uncis saepserunt. Nam in originis narratione Veneris (vv. 188—193) verba quaedam legimus, quae infra in Veneris cognominibus rursus adhibentur:

μήδεα (v. 188)
ἀφρός (v. 191)
Κύθηρα (v. 192)
Κύπρος (v. 193)

et infra illis respondentia:

φιλομμηδέα (v. 200)
Ἀφροδίτην (v. 195) et *ἀφρογενέα* (v. 196)
Κυθέρειαν (vv. 196, 198)
Κυπρογενέα (v. 199)

quae ratio componendi elegantia sermonis sententiarumque subtilitate miram legentibus affert iucunditatem; neque hoc genus scribendi ab Hesiodo saepius ac libenter adhibitum

---

1) Herm. LXI 1926 (= Herm.), p. 157 sqq.

2) Cf. Friedlaenderum, GGA CXCIII 1931 (= GGA), p. 256; Wilamowitzium, Der Glaube der Hellenen I, Berol. 1931 (= Gl. d. Hell. I), p. 95 n. 5; Supplément critique au Bulletin de l' Association Guillaume Budé III 1931, p. 62; Schwennium, Die Theogonie des Hesiodos, Heidelb. 1934 (= Th. d. Hes.), p. 114—126; I. Sellschopp, Stilistische Untersuchungen zu Hesiod, diss. Hamb. 1934, p. 31, 68.

nobis ignotum est; iam in prooemio Hesiodum vocibus quibusdam inter se respondentibus usum esse videmus[1]). Etenim totam narrationem tanta sollertia ingenioque compositam deleremus, si interpretationem omnium criticorum divulgatam asisceremus, i. e. iis vv. 196, 199—200 aliunde esse insertos astipularemur.

Auspicium faustum videtur esse, quod in iis quidem versibus, quibuscum nobis res est, omnia Veneris cognomina occurrunt:

v. 196: *ἀφρογενέα, Κυθέρειαν*
v. 199: *Κυπρογενέα*
v. 200: *φιλομμηδέα.*

Iam haec sufficiunt ad sententiam illam respuendam; sed aliam difficultatem critici ipsi creaverunt, quae nulla est simpliciter ac vere iudicanti. Censuerunt enim vocem *γέντο* (v. 199) maxime repugnare verbis *ἐκ δ' ἔβη* (v. 194). *γέντο* quamvis apud Homerum[2]) semper positum sit accipiendi vel sumendi notione, tamen hic per syncopen positum pro *ἐγένετο*[3]) et a verbo *γίγνομαι* esse derivandum in promptu est. Cypri igitur neque alio loco Venerem natam esse Hesiodus perhibet; quam sententiam etiam in antecedenti narratione, quae est de Veneris ortu, exprimit (vv. 193—194):

περίρρυτον ἵκετο Κύπρον.
ἐκ δ' ἔβη αἰδοίη καλὴ θεός . . .

Spuma igitur alta atque nutrita, necdum nata protinus natat; nec vero Cytheris Venus nata est, sed adpellebatur tantum ad illam insulam. Denique verba *ἐκ δ' ἔβη* significant Veneris natales et referuntur in v. 199 voce *γέντο*. Tum demum omnia magis ad venustatem et amorem se componunt: qua Venus incedit, vernat terra.

---

1) De hac Hesiodi proprietate cf. I. Sellschopp, l. l. p. 107—111.
2) Θ 43, Ν 25, 241, Σ 476.
3) Cf. v. 282:

τῷ μὲν ἐπώνυμον ἦεν, ὅτ' Ὠκεανοῦ περὶ πηγὰς
γένθ' . . .

et v. 705:

τόσσος δοῦπος ἔγεντο θεῶν ἔριδι ξυνιόντων.

Apud Hesiodum spumam, in qua Venus adolescit, Cytheris Cyprum moveri videmus; contra hodie Veneris cultum in contrarium se diffudisse scimus[1]).

Res iam gravior est in v. 196[2]). Admodum hoc versu non solum argumentum sed etiam dictionum constructio deleri videtur; neque autem ei fides statim deroganda est nobis cogitantibus, quam dure inepteque Hesiodus in iis quidem versibus verba composuerit, in quibus deorum nomina explanantur vel species describitur; cf. vv. 142 sqq.:

οἳ δή τοι τὰ μὲν ἄλλα θεοῖς ἐναλίγκιοι ἦσαν,
μοῦνος δ' ὀφθαλμὸς μέσσῳ ἐνέκειτο μετώπῳ.
Κύκλωπες δ' ὄνομ' ἦσαν ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρα σφέων
κυκλοτερὴς ὀφθαλμὸς ἕεις ἐνέκειτο μετώπῳ·

vel vv. 576 sqq.:

ἀμφὶ δέ οἱ στεφάνους, νεοθηλέος ἄνθεα ποίης,
ἱμερτοὺς περίθηκε καρήατι Παλλὰς Ἀθήνη.
ἀμφὶ δέ οἱ στεφάνην χρυσέην κεφαλῆφιν ἔθηκε,
τὴν αὐτὸς ποίησε περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις.

Hesiodi enim, poetae compositione verborum impoliti atque inculti, sermo inconditus et rudis proprius est; neque occurrit apud eum elegantia illa sermonis et genus scribendi subtile, quod apud posteriores invenimus; ut cogitationes animum subeunt ita verba facit; itaque saepe exstant apud Hesiodum repetitiones illae ab huius poetae aetate et ingenio nequaquam alienae, quae molestae esse nobis videntur; accedit, quod poeta nihil neglegere, nullam etymologiam praeterire vult. Minime Vulcanus Pandorae coronam imponens praetermittendus erat, at superimponi floribus diadema commode non potuisse id quod nimis offendit criticos novos ne animadvertit quidem poeta. Similiter Venere in v. 195 commemorata statim

---

[1]) Cf. Wilamowitzium, Gl. d. Hell. I, p. 95; Ottonem, Die Götter Griechenlands[2], Francof. 1934, p. 116 sq. Quam discrepantiam etiam scholiasta (ad Th. v. 192 p. 230 Flach) tollere voluisse mihi videtur, cum scribit: „*Κύθηρά ἐστι πόλις Κύπρου μικρά*".

[2]) Copiose et accurate de hoc versu disputavit Muetzellius, De emendatione Theogoniae Hesiodeae, Lips. 1833, p. 423 sqq.

Hesiodo in mentem veniebat hoc nomen ducendum esse ab *ἀφρός*; itaque ilico hoc etymon[1]) affert.

Sed aliis interpretatio impedita est difficultatibus; putant enim viri docti inter se repugnare vv. 181 et 189 et offendunt, quod Hesiodus modo Terram, cum Urani genitalia supra terram ferantur, stillantes inde guttas omnes gremio excepisse modo genitalia illa a Saturno retro iacta ex continenti[2]), quae *λόχον* praebuerat, missa esse in pontum, ubi ex spuma eorum prognata sit Venus, narrat. Sed facile haec difficultas eximi potest nobis cogitantibus vim temporis plusquamperfecti[3]), quae inest voci *κάββαλ'*, lingua Graeca significari non posse. Sic sensus optimus efficitur: genitalia resecta, quae Saturnus pone se abiecit, primum trans terram tam longe volant, quam Saturnus a mari abest, deinde in mare incidunt. Vv. 188sqq. accuratius declaratur, quod vv. 181sq. modo indicatum fuerat. Praeceps et abruptus transitus, quo a Nymphis Meliis Gigantibus Erinysin ad *μήδεα* non deducimur, sed abripimur, potius compilatore quam poeta dignus videtur esse[4]); at non solum transitus durus post longiorem digressionem factus Hesiodi sermonis tam proprius[5]) est, ut in paginis paene omnibus lec-

---

[1]) Infeliciter de hac re egit Iacobyus, Herm., p. 163, 164 adn. 1, 179; scimus enim Hesiodum in nominum quidem etymologia libenter versari (cf. Th. vv. 145, 196, 200, 209, 281 sqq., Op. v. 81). Etiam hoc loco nihil aliud mente agitabat, quamquam insulas montes loca, in quibus Graeci deos colebant eisque aras ponebant, commemorare minime veretur (cf. Th. vv. 2, 53, 329, 391, 477, 632 passim). Poeta hic non loca quam plurima afferre vult, sed e contrario nomina, quae illa aetate iam in usu erant, his locis enodare. Porro Hesiodum primum hominibus maiores tribuisse partes I. Sellschopp satis exposuit (cf. e. g. l. l. p. 26, 41); aliter Kernius, Orpheus, Berol. 1920 (= Orph.), p. 38, 43, 47; Iacobyus, Herm., p. 164 n. 1; Kernius, Die Religion der Griechen I, Berol. 1926 (= Rel. d. Gr. I), p. 268.

[2]) Errat Iacobyus, Herm., p. 176sq., cum genitalia de litore in pontum iacta esse putat; *ἤπειρος* enim Hesiodo terra est continens opposita insulis et mari (v. infra vv. 582, 964, Op. v. 622).

[3]) Cf. vv. 629, 636 (p. 35).

[4]) Iacobyus, Herm., p. 178, 181 in hac voce offendens inde loci versus subdititios esse censet uncinisque includit.

[5]) Cf. Dornseiffium, Die archaische Mythenerzählung, Berol. 1933 (= Arch. Myth.), p. 47.

toribus occurrat[1]), sed etiam libenter poeta narrationem a priore voce repetit insigniens plerumque versum continuativum anaphora quam vocant; cf. vv. 477 sqq.:

> **πέμψαν δ' ἐς Λύκτον,** Κρήτης ἐς πίονα δῆμον
>
> [declinat interim poeta a Rheae oratione et Terram puerum suscepisse alendum ibidem educandumque narrat; deinde revertitur[2]), unde egressus est:
>
> ἔνθα μιν ἷκτο φέρουσα θοὴν διὰ νύκτα μέλαιναν]
> **πρώτην ἐς Λύκτον·** κρύψεν δέ . . .

vel vv. 570 sqq.:

> αὐτίκα δ' ἀντὶ πυρὸς **τεῦξεν κακὸν** ἀνθρώποισιν·
>
> [sequitur Pandorae fabula; tum pergit poeta:]
>
> αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ **τεῦξε καλὸν κακὸν** ἀντ' ἀγαθοῖο.

Etiam vv. 188 sqq., quibus incubamus, cum antecedentibus praeclare esse coniunctos iam in propatulo est; *μήδεα* primo loco posita statim auditoribus in memoriam redigebant poetam adhuc nondum narravisse, quid genitalibus factum esset; nam ea re, cuius assequendae causa terra virilium sanguine spargitur, perfecta, i. e. Nymphis Meliis Gigantibus Erinysin enatis, omnibus quaerendum erat, quo *μήδεα* illa amputata a Saturno proiecta incidissent; itaque Hesiodus initium narrandi sumit a *μήδεα*, quae vox opposita est voci *ῥαθάμιγγες* (v. 183) ita ut particula *δέ* respondet particulae *μέν* (v. 182)[3]). Deinde in v. 182 genitalia Urani non incassum elapsa esse Saturni manu legimus:

> τὰ μὲν οὔ τι ἐτώσια ἔκφυγε χειρός

cuius rei eventum partim iam in sequenti versu esse descriptum e coniunctione *γάρ* perspicuum est. At non solum vocibus „*τὰ μέν*"

---

[1]) Cf. vv. 207, 411, 501, 507, 617, 639, 713, quae exempla facile augeri possunt.

[2]) Alio modo de his versibus iudicat Pohlenzius, Neue Jahrbücher für das klassische Altertum XXXVII 1916 (= Neue Jahrb.), p. 563 n. 2, 567 n. 1. Cf. p. 39 n. 1; Apollod. I 1, 6; Tzetz. Th. v. 204.

[3]) Hesiodus cum *μήδεα* voci quae est *ῥαθάμιγγες* opponat, sub particula *μέν* iam intellegit guttas, quamquam articulus *τά* neutrius generis causa ad nihil aliud nisi *μήδεα* referri potest.

genitalia significantur, sed etiam verbis „ἔκφυγε χειρός“; neque enim guttae cruentae vocibus „τὰ μέν“ dictae esse possunt, praeterea e Saturni manu non exciderant. Hoc igitur loco omnes auditores exspectabant nonnullos versus, qui docerent, ubi essent μήδεα. Nam quamquam Robertius[1]) Hesiodum eodem modo atque postea Pindarum et Bacchylidem mediam narrationem abrumpere posse recte dicit, tamen poeta non quolibet loco, sed recto et tum demum, cum extrema narrationis pars ex se intellegebatur (cf. p. 57), insistere poterat; quamobrem ei reticere quid genitalibus factum esset non licebat. Eodem modo res se habet in vv. 492—497; in v. 491 enim quinque Saturni liberi maiores natu in patris ventre capti sunt; neque etiam hoc loco Hesiodus insistit, sed in vv. 492—497 eos liberatos esse narrat[2]). Itaque hos versus, quamquam poeta fabulam illam tam breviter tractat, secludere non possumus. Simili modo Hesiodus Cyclopibus solutis eam pugnam, quam titanomachiam vocamus, statim describere poterat, in qua Iuppiter imperium suum feliciter contra pristinorum deorum impetum tutatur. Atque etiam auditor hanc narrationem post vv. 501—506 exspectat. Sed restat Iapeti genus, quod Hesiodus praeterire non potest; namque si poeta Iapeti stirpem post titanomachiam demum vel post Typhonis certamen perhibuisset, spatium ab aliorum Titanum stemmatibus nimis longum fuisset; ducentos enim vel trecentos versus implevisset; itaque Hesiodus mavult a Cyclopibus satis abrupte transire ad Iapetum, cuius generis mentionem facere non supersedet.

His omnibus perpensis nihil esse causae, cur Hesiodo versum ullum abiudicemus, iam in propatulo est; sed priusquam transierimus ad totius narrationis compositionem indolemque, summam quaestionem et gravissimam, quae est de Amore, uberius tractemus. Venus enim in v. 201 Amore et Himero comitata deorum ad coetum se confert, et dubitatio iam a Goettlingio[3]) et Welckero[4]) notata, deinde autem a Iacobyo aucta amplificataque oritur, num Amor, qui una cum Chao Terra

[1]) Cf. Mélanges Nicole, Genevae 1905 (= Mél. Nic.), p. 476.

[2]) Cf. Iacobyum, Herm., p. 181.

[3]) Hes. carm. ed.[2], p. 29.

[4]) Hes. Th. ed., p. 103.

Tartaro[1]) in rerum principiis positus est, i. e. Amor cosmogonicus qui dicitur, et ille, qui Venerem ad deos adducit, idem sit.

---

[1]) V. 119 non delendum esse contendam; duplex enim fertur de principiis Hesiodeis scriptorum narratio; alii producunt tria rerum principia, *Χάος*, *Γαῖαν*, *Ἔρωτα*, alii quattuor; interserunt enim post *Γαῖαν Τάρταρον*. Prior sententia summos et gravissimos habet auctores, inter quos primo loco commemorandi sunt Aristoteles (Metaphys. *A* 4 984 b 27), Plato (Symp. 178 b), Zeno Stoicus, frg. 104 p. 29 Arnim (Stoic. vet. frg. I). Sin autem ea, quae de Aristotelis locis p. 8 dicam, probabiliter disputata sunt, nullam causam esse apparet, cur Platonis et Aristotelis testimoniis suffragemur; nam quoniam Aristoteleorum locorum auctoritatem argumentis haud levibus labefactasse videor, etiam Platoni non admodum liberalis adiugenda erit fides. Contra haud debilem auctoritatem versui 119 in Plutarchi (Mor. 374 C 57; II p. 57 Sievek. et 948 F 9; V p. 481 Bernard.) Pausaniaeque (IX 27, 2) consensu paratam esse puto. In eandem sententiam valent Cornuti (c. 17 p. 28 Lang) et Damascii (De princ. 124; I p. 319 sq. Rue.) testimonia. His exemplis si qua fides est, iam constabit v. 119 tenendum esse. Porro v. 119 ab Hesiodi ratione scribendi non alienum esse vocabula *χθών* et *Τάρταρα* ostendunt, quae cum isdem adiectivis coniunguntur in vv. 620, 682, 721, 736, 807. Praeterea etiam in v. 841 poeta vocis *Τάρταρος* singularem numerum in pluralem mutavit. V. 119 maioris esse momenti etiam e Theogoniae compositione elucet; nam Theogonia Hesiodea primo obtutu in tres dividitur partes, quarum una poeta primam Terrae subolem, quam peperit ex Urano, describit, altera Terram gravidatam a Ponto edidisse Nereum, Thaumantem, Phorcum, Cetonem, Eurybiam dicit, tertia Tartari nuptias cum Terra affert. Superatis enim Titanibus et in Tartarum deiectis novus Iovi hostis exstitit Typhon, Terrae et Tartari filius, cuius certamen cum rege deorum narratur vv. 820—868. Respondent igitur hae partes tres versibus 119—127—132. Nempe sic hi versus, quibus tres Terrae mariti procreantur, totius fere Theogoniae argumentum concludere videntur: fieri non potuit, ut Tartari ex Terra filius Typhon diceretur, nisi ipse Tartarus etiam antea commemoratus fuisset. Cf. Schoemannum, op. acad. II, Berol. 1857 (= op. acad. II), p. 66, 442; Lisconem, Quaestiones Hesiodeae, diss. Gott. 1903, p. 68; Alyum, Hes. Th. ed., p. 12 n.; Dietzeum, Rh. Mus. LXIX 1914, p. 532 n. 2; Zieglerum, lex. myth. a Roschero ed. V, p. 1476 sq.; Iacobyum, Herm., p. 169 sq., 170 n. 2, 173 n. 1; Schmidium et Staehlinium, Geschichte der griechischen Literatur I 1, Mon. 1929, p. 257 n. 5; Iacobyum, Hes. Th. ed., p. 146 n.; Schwennium, Th. d. Hes., p. 108. Restat, ut pauca de Aristoph. Av. vv. 693—694 praemoneam. Puto enim comicam illam theogoniam potius ex Hesiodo quam ex Orphicis theogoniis fluxisse. Iam de rerum

Disputationis exordium sumamus a vv. 120—122, quibus diutius immorandum erit. Iacobyus enim quamquam Amorem hic inter rerum primordia numeratum esse concedit, tamen hos versus non eo modo, quo codices eos exhibent, legendos esse censet, sed potius ei placet, quod Aristoteles Metaphys. *Α* 4 984 b 27 profert. Haec autem interpretandi ratio, ne quid dicam gravius, est incauta; nam etiamsi hoc ipsum philosophum memoria lapsum non esse concedimus, tamen versum indiligenter rettulisse potest; quae indiligentia apud Aristotelem saepe occurrit: in v. 116[1]) pro eo quod Theogoniae codices habent *ἦ τοι μὲν πρώτιστα* scribit *πάντων μὲν πρώτιστα*[2]), vel Metaphys. *Β* 4 1000 a 29 refert Empedoclis versum *ἐξ ὧν πάνθ' ὅσα τ' ἦν ὅσα τ' ἔσθ' ὅσα τ' ἔσται ὀπίσσω,* cum apud Empedoclem ipsum[3]) legatur:

ἐκ τούτων γὰρ πάνθ' ὅσα τ' ἦν ὅσα τ' ἔστι καὶ ἔσται[4])

vel *Δ* 5 1015 a 31 e Sophoclis Electr. laudatur *ἀλλ' ἡ βία με ταῦτ' ἀναγκάζει ποιεῖν* pro eo quod Sophoclis codices praebent (Electr. v. 256):

ἀλλ' ἡ βία γὰρ ταῦτ' ἀναγκάζει με δρᾶν.

Porro post verba *γαῖ' εὐρύστερνος* nihil legimus, unde elucet philosophum hunc locum ex libro Hesiodeo excerpsisse et carptim tantum Hesiodi verba attulisse; idem intellegi potest ex Metaphys. *Δ* 4 1015 a 1: *φύσις οὐδενὸς ἔστιν **ἐόντων**, ἀλλὰ μόνον μίξις τε διάλλαξίς τε μιγέντων . . .,* quae verba Aristoteles elegit ex Empedoclis versibus[5]):

---

primordiis Aristophanes Hesiodo astipulatur; nam initium capit a Chao quemadmodum etiam Hesiodus, quamquam in Rhapsodiis Chronum positum fuisse pro rerum omnium principio scimus. Deinde comicus aliorum quoque ab origine deorum nomina, quae Hesiodus refert, intacta reliquit, inter eos Tartarum, quem nuncupat *εὐρύν*, quo epitheto eodem versus loco etiam Hesiodus ad Tartarum describendum utitur (v. 868). De ceteris indiciis v. p. 67* n. 1.

1) Metaphys. *Α* 4 984 b 27 et Phys. IV 1 208 b 30.

2) Cf. De Melisso I 975 a 1: *πάντων μὲν πρῶτον.*

3) Frg. 21 p. 320 Diels (Die Fragmente der Vorsokratiker I[5]).

4) Dielesius, poet. philosoph. frg. ed., p. 116, 9 dicit: „*ἐξ ὧν πάνθ' ὅσα τ' ἦν ὅσα τ' ἔσθ' ὅσα τ' ἔσται ὀπίσσω* memoriter Arist." (= philosoph. ante Socr. vivent. frg. ed. I[5], p. 320, 4: „*ἐξ ὧν—ὀπίσσω* n. d. Gedächtnis Arist.").

5) Frg. 8 p. 312 Diels (Die Fragmente der Vorsokratiker I[5]).

φύσις οὐδενὸς ἔστιν ἁπάντων
θνητῶν, οὐδέ τις οὐλομένου θανάτοιο τελευτή,
ἀλλὰ μόνον μίξις τε διάλλαξίς τε μιγέντων

Homeri quoque versus Aristotelem ex memoria non satis fida citasse saepe observare possumus[1]). Itaque similiter iudicandum erit[2]) etiam de Th. v. 120 atque ignorari potest, quid philosophus post vocem *ἀθανάτοισιν* legerit. Abiciamus igitur Aristotelis auctorisque De Melisso testimonia, qui v. 120 sic conformatum produnt: *ὃς πάντεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισιν*; videtur enim Aristoteles aberravisse ab ipsis Hesiodeis verbis similium versuum recordatione deceptus veluti Hom. *B* 579:

πᾶσιν δὲ μετέπρεπεν ἡρώεσσιν

et *Π* 194:

ὃς πᾶσι μετέπρεπε Μυρμιδόνεσσιν

vel Hesiodi verba confundens cum hymn. Hom. in Apoll. (III) v. 315:

πᾶσι μακάρεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισιν

et v. 327:

ὅς κε θεοῖσι μεταπρέποι ἀθανάτοισιν.

Sin autem Aristotelem re vera textum verum protulisse facimus, nonne libro retractato, in quo ulla de causa nescioqua versus 121—122 deerant, usus esse potest? Etiam hac de re Iacobyus miro et vix excusabili errore adductus sententiam profert ineptam: nam Platonem libro iam retractato usum esse asseverat[3]) (Veneris enim originem iam legit in Crat. 406 c; praeterea versus quoque, de quibus sermo est, in Symp. 195 a b respexisse putem), Aristotelem autem denuo textum legisse ab Hesiodo compositum.

Deinde ex loco Aristoteleo Hesiodum nihil de Amore scripsisse nisi hunc unum versum 120 Iacobyus efficit, qua in re etiam in captiones se induit. Nam Aristotelem rem paucis absolvere voluisse eaque de causa vv. 121—122 omisisse tam manifestum est, ut haec res disputatione non indigeat.

---

[1]) Cf. Wachsmuthium, De Aristotelis studiis Homericis, diss. Berol. 1863, p. 2 sqq.

[2]) Cf. Schweglerum, Aristot. Metaphys. ed. III, p. 38; Bonitzium, Aristot. Metaphys. ed. II, p. 72.

[3]) Herm., p. 180.

Porro Iacobyus apud Hesiodum singulorum deorum nominibus enumeratis ultimi dei nomen vel ultimae deae quasi verborum sententiarumque floribus conspersum esse censet. Haec autem observatio recta etiam his in versibus 120—122 comprobatur, si textum ita ut in codicibus traditus est legimus. Neque enim illum deum summo loco vocatum paucis verbis vel uno tantum versu solo celebrari necessarium est; at extremum nomen compluribus et verbis et versibus exornari atque amplificari praeter hunc locum apud Musas videmus (vv. 79 sq.):

Καλλιόπη θ' ἣ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων.
ἣ γὰρ καὶ βασιλεῦσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ

vel eadem ratione apud Saturni liberos (vv. 457 sq.):

Ζῆνά τε μητιόεντα, θεῶν πατέρ' ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,
τοῦ καὶ ὑπὸ βροντῆς πελεμίζεται εὐρεῖα χθών.

Multo autem graviores sunt dubitationes, quam ob rem Amor in v. 120 nominetur *κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι,* quamquam tum non modo homines, sed ne dei quidem exstiterunt, quorum mentem aeque atque hominum mortalium capere animumque domare dicitur. Multi etiam Hesiodum iam in vv. 120—122 Amoris naturam descripsisse mirati sunt eiusque munera, quibus postea demum fungi posset. Nec vero haec est iusta causa versuum ab Hesiodo abiudicandorum. Rationem enim sermonis Hesiodei atque formam observantes poetam saepe ac libenter adhibere prolepsim animadvertemus[1]). Simili modo Hesiodus Terram *πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ ἀθανάτων* nominat (v. 117), cum dei tum quoque nondum orti sint; perinde autem caelum in v. 127 *ἀστερόεν* appellatur, quamquam astra postea demum gignuntur; similiter iudicandum erit de v. 202, in quo Venus *θεῶν ἐς φῦλον* init[2]); in vv. 203—206 poeta Veneris munera describit:

ταύτην δ' ἐξ ἀρχῆς τιμὴν ἔχει ἠδὲ λέλογχε
μοῖραν ἐν ἀνθρώποισι καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι,
παρθενίους τ' ὀάρους μειδήματά τ' ἐξαπάτας τε
τέρψιν τε γλυκερὴν φιλότητά τε μειλιχίην τε

[1]) Cf. Robertium, Mél. Nic., p. 473.

[2]) Robertius, Mél. Nic., p. 476 deos neque Titanes hic intellegendos esse arbitratur.

quamquam etiam tum homines nondum exstiterant. Deinde eadem ratione Nemesis recens a partu *πῆμα θνητοῖσι βροτοῖσι* appellatur (v. 223); vel in v. 231 de Horco legimus:

πλεῖστον ἐπιχθονίους ἀνθρώπους
πημαίνει, ὅτε κέν τις ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσῃ

necdum hoc tempore homines creati sunt. Amorem autem in v. 120 large copioseque describendum fuisse in propatulo est; neque enim is, qui primus ab initio rerum effectionem quandam omnia fingentem et formantem mutuoque amore immortales et homines inter se conducentem fuisse intellexit, nomen tantum Amoris hoc loco dicere satis habere poterat. Sic poeta etiam Iovem antea nondum commemoratum uberius et fusius exprimit (vv. 457 sq.):

Ζῆνά τε μητιόεντα, θεῶν πατέρ' ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,
τοῦ καὶ ὑπὸ βροντῆς πελεμίζεται εὐρεῖα χθών.

Omnino autem Hesiodus una cum alicuius dei origine munera eius atque sortem nuncupat, qua de re infra p. 15 dicam.

Iam quod unum reliquum est tractemus: Iacobyus enim in v. 120 copulam deesse improbat adductus ut videtur errore paene ridiculo; nam saepius Hesiodus versus sine copula antecedentibus addit, e. g. in v. 235:

αὐτὰρ καλέουσι γέροντα,
οὕνεκα νημερτής τε καὶ ἤπιος.

His omnibus perpensis versus 120—122 cur spurios et Hesiodi rationi scribendi absonos putemus, nihil esse causae videmus; immo vero versus secundum sermonem[1]) compositionemque Hesiodi propriam conscriptos et hanc ob rem poetae Ascraei genuinos putandos esse mihi manifestum est.

Sin autem versus 121—122 re vera ab Hesiodo alieni essent, quaestio oreretur, quis, quando, cur eos intexuisset; atque Iacobyi erat, nos de hac re docere; sed nihil eiusmodi ab eo comperimus. Utcumque res se habet, ab Orphei asseclis ut censet Zieglerus[2]) vv. 121—122 vix inserti sunt; nam nimis

[1]) Voces **νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν** eodem versus loco casu mutato in v. 661 leguntur. Amori idem epitheton *λυσιμελής* attribuitur in v. 911.

[2]) Cf. l. l. p. 1502.

abhorrent Amoris Hesiodei epitheta *κάλλιστος* et *λυσιμελής* ab Orphicorum Amore-Phanete.

Transeamus iam ad rem gravissimam et Amorem in v. 201 cum illo in v. 120 comparemus, quos deos non esse eosdem et hac de causa ex iis alterum et cum eo Veneris historiam totam expungendam esse Iacobyus censet. Neque vero negari potest in Hesiodi Amore vim quandam movendae materiae et ad rerum generationem impellendae inesse; neque autem qualis Amor fuerit neque quid effecerit ac ne unde ortus quidem sit edocemur. Immo vero Hesiodus, postquam Amorem in rerum principiis posuit, nullas in generationibus subsequentibus partes eius commemorat omninoque Amorem ne nominat quidem nisi in v. 201, ubi eum Veneri comitem una cum Himero adiungit. At huius omne munus constat in eo, ut facultatem illam, qua moveantur et copulentur inter sese prima elementa rerumque efficiatur procreatio, incitet numine suo et impellat; nihil aliud Hesiodus dicere vult, cum Amorem inter rerum primordia ponit; amplius vero Amor nihil agit: neque legem habet neque normam movendi nec quasi viam consilio ac sapientia praescriptam ut ad certum destinatumque finem omnis rerum procreatio dirigatur; quam si haberet, demiurgus quidam esset et architectus totius mundi ita ut Orphicorum Phanes, de quo apud Lactant. Divin. instit. I 5, 4 p. 13 Br. (frg. 73 K.) legimus: „Orpheus deum verum et magnum *πρωτόγονον* appellat, quod ante ipsum nihil sit genitum, sed ab ipso sint cuncta generata.“

Hac quoque ex re perspicuum est, quam inepte quadrent ad Amorem Hesiodeum illa Aristotelis verba *ὃς πάντεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισιν*; accomodatiores sunt iterum hae voces Orphicorum Phaneti, qui *πάντων ὑπέρτατος* vocatur (Ioann. Malal. Chronograph. IV 89 p. 74 Di.; frg. 65 K.); sane haud scio, an Aristoteles Theogoniae Hesiodeae textu, in quo Orphici iam grassati erant, usus sit.

Iam apparet, quo modo de Amore Hesiodeo statuendum sit; nempe poetam in v. 120 Amorem illum cosmogonicum neutiquam intellexisse[1]) sine dubio est in promptu. Nam si

[1]) I. Sellschopp cum v. 122 perverse vertat et interpretetur, de hac re sententias profert falsissimas; dicit enim (l. l. p. 68): „Hier zeigt

Hesiodus Amorem cosmogonicum significare voluisset, minime satis habuisset, eum apud deos illos principes nominare neque Amorem, quem nullius ortus vel procreationis participem esse videmus, mentione eius brevi iniecta deseruisset.

Affirmatur haec sententia ratione Amoris describendi ab Hesiodo adhibita; nam epitheta *κάλλιστος* et *λυσιμελής* ei tributa Venereo puero convenientiora sunt quam illi omnium deorum vetustissimo. Pulchritudine igitur eximius[1]) est et membra corporis gaudiis resolvit; quorum epithetorum alterum[2]) ab hoc loco et dei cosmogonici maiestate alienum et Amori illi, quem lyrici carminibus suis celebrant, congruentius esse I. Sellschopp censet[3]); sed etiamsi Homerus epitheton *λυσιμελής* deis vel omnino personis nondum imponit[4]) (cui deo hoc appositum tribueret nisi Amori?), nihil tamen obstare arbitror, quominus Hesiodus Amorem hoc cognomine, quod somno additur Hom. *Ψ* 62, *υ* 56, *ψ* 343, exornet. Ceterum moneo poetam Ascraeum ab epicorum ingenio declinare et iam appropinquare, ut cognitiones atque cogitationes, quas lyrici habent, percipiat[5]). Sed quid? Si tamen Homerus simili modo Amoris naturam describit? Dicit enim de procis Penelopen conspicatis (*σ* 212):

τῶν δ' αὐτοῦ λύτο γούνατ', ἔρῳ δ' ἄρα θυμὸν ἔθελχθεν.

---

sich ein Grad von innerem Widerstand, wie er dieser hier gemeinten Urmacht nicht entsprechen würde"; quae sententiae iam eo quod Hesiodus hoc loco de vi illa animali, quae omnis generationis causa atque principium est, cogitavisse nullo pacto potest, refutatae sunt. In eundem errorem inductus est Zieglerus, l. l. p. 1502, quo ex loco I. Sellschopp verba sua decerpsit: „Diese Beschreibung paßt wahrlich nicht auf die kosmogonische Urmacht, die hier gemeint ist."

1) Inepta sunt, quae de hoc adiectivo I. Sellschopp iudicavit (l. l. p. 31). Nam apud utrumque poetam epitheton *καλός* aeque et ad corporis venustatem spectat et conveniendi vel decendi notione positum est, cf. Hes. Th. vv. 22, 417, 437, 585; Hom. *E* 354, *Θ* 305, *I* 556, *Ψ* 66.

2) Errat I. Sellschopp, cum hoc adiectivum in Homeri Iliade nondum exstare asserit (l. l. p. 68 n. 113); cf. *Ψ* 62, *ψ* 343.

3) l. l. p. 68 adn. 113. Cf. Iacobyum, Herm., p. 175.

4) Epitheta huius generis paene omnia, quae I. Sellschopp parum diligenter conquisivit (l. l. p. 20, 25), personis quoque ab Homero tribuuntur.

5) I. Sellschopp quamquam Hesiodum scribendi et cogitandi rationem epicorum cum lyricorum miscere fatetur (l. l. p. 44, 46), tamen Hesiodum ante Homerum vixisse et scripsisse asseverat.

Qualis huius dei notio quantopere ab illo Amore cosmogonico abhorreat, non opus est exponere; nam vim illam animalem, quae Amoris cosmogonici persona significatur, omnis materiae expertem planeque incorpoream esse notum est (cf. Damasc. De princ. 123; I p. 317 Rue., frg. 54 K.: θεὸς ἀσώματος)[1]. Hesiodi autem Amor corporeus et aspectabilis atque quasi oculis manuque tractabilis est.

Nimirum non diversum esse apparet Amorem in rerum principiis positum ab eo, qui una cum Venere in diis atque hominibus amoris affectum excitat. Nam cave cogites altero loco (vv. 201—202) de artificum simulacris.

Quae omnia cum ita sint, quaestio oritur, cur Hesiodus Amorem una cum Chao et Terra inter deos principes induxerit.

Illud omnibus notum praedicendum est poetam Ascraeum multum de deorum ortibus ac nominibus eorumque natura atque specie, honoribus et muneribus secum meditatum esse; itaque maxima nos incedit admiratio, quod Hesiodus primus vim quandam, quae motum materiae ad res conformandas efficiat, in rerum exordio posuit[2]. Deinde autem coluerunt Amorem omnium religiosissime Thespienses in Boeotia, in quorum agro etiam Ascra pagus erat; illic Amor erat deus summus ex antiquissimis temporibus (ἐξ ἀρχῆς Paus. IX 27, 1)

---

[1]) Cf. Athenag. Pro Christianis 18 p. 20 Schw., frg. 57 K.; Ioann. Malal. Chronograph. IV 89 p. 74 Di., frg. 65 K.; Lobeckium, Agl. I, p. 486 n. *; Kernium, De Orphei Epimenidis Pherecydis theogoniis, Berol. 1888 (= De theog.), p. 25 n. 31; C. A. Ruelle, Damasc. De princ. ed. I, p. 318 adn.; Susemihlium, De Theogoniae Orphicae forma antiquissima, ind. lect. Gryphisw. aestiv. 1890, p. 5; Dieterichium, Abraxas, Lips. 1891 (= Abraxas), p. 49* n. 4; Geffckenium, Aristid. Apolog. et Athenag. Suppl. ed., p. 199 n. 1; Gruppeum, lex. myth. a Roschero ed. III 2 (= lex. myth. III 2), p. 2251 sq.; Bethium, Wiener Studien XXXIV 1912, p. 288 n. 1; Th. Gomperzium, Hellenika II, Lips. 1912, p. 368; Zellerum, Die Philosophie der Griechen I 1^{6}, Lips. 1919 (= Phil. d. Gr. I 1^{6}), p. 127 n. 2; H. Gomperzium, Herm. LXVII 1932, p. 162 n. 1.

[2]) Cf. M. P. Nilsson, Lehrbuch der Religionsgeschichte II^{4} (ed. Chantepie de la Saussaye-Bertholetius-Lehmannus), Tub. 1925, p. 356; Wilamowitzium, Hes. Op. ed., p. 157; Iaegerum, Paideia I^{2}, Berol. 1936, p. 99.

atque pro simulacro lapis rudis ei collocatus erat ut Pausanias testatur: καί σφισιν ἄγαλμα παλαιότατόν ἐστιν ἀργὸς λίθος. Hunc cultum clarissimum Hesiodo in causa fuisse, ut Amori tam insignem in Theogonia locum daret, in promptu est; neque enim Thespiae procul ab eius domo sitae erant. Sed Hesiodus cum naturam illius Amoris parum cognovisset, statim eum deserit nulloque Theogoniae loco commemorat (nam in v. 910 ἔρος est nomen appellativum), quae proprietas semper apud Hesiodum nobis occurrit, quotiens alicuius dei munia non satis intellegit veluti Erebi Aetheris Hemerae.

Sectatoris autem in loco Veneris Hesiodus Amorem ab initio constituerat; neque enim usquam Venerem solam ad immortalium coetum ineuntem invenimus, sed semper alii dei vel deae eam deducunt et comitantur, in his Horae in hymn. Hom. VI v. 5, Gratiae in Hom. *E* 338, *ϑ* 364, Zelus et Fraus in Orphei theogonia (Procl. in Plat. Crat. 406c p. 110 Pasqu., frg. 127 K.).

Unum restat, quo in interpretanda Veneris fabula a novis interpretibus[1]) dissentio, quamquam in hoc minime novitatem sector. Veneris enim in Olympum ingressae poeta describit *τιμήν* et *μοῖραν* (vv. 203—206); etiam hanc Hesiodi proprietatem[2]) tam saepe per totam Theogoniam reperimus, ut illis viris doctis assentiri nequeam, qui neglexisse Hesiodum deorum honores munera sortes arbitrantur. Facile autem eorum sententia profligatur hac locorum copia:

Iam in prooemio (v. 74) Iuppiter aliis deis alios honores apte distribuit:

εὖ δὲ ἕκαστα
ἀθανάτοις διέταξεν ὁμῶς καὶ ἐπέφραδε τιμάς.

Porro Hesiodus Musarum praestans munus (v. 93 *ἱερὴν δόσιν*) cum hominibus tum regibus donatum laudat (vv. 81 sqq.). Regum enim in antiquissimis civitatibus praecipuum munus erat iurisdictio[3]). Ad hoc autem munus bene exsequendum

---

1) Cf. Iacobyum, Herm., p. 166, 177; I. Sellschopp, l. l. p. 31.

2) Cf. Pfisterum, Philolog. LXXXIV 1929, p. 6.

3) Cf. Op. vv. 39, 248, 261; Birtium, Philologische Wochenschrift XLVIII 1928, p. 185, 191. At poetam in Theogoniae prooem. vv. 81 sqq. singulari numero usum esse Birtius iniuria asserit.

opus ipsis erat tum prudentia tum eloquentia; nec vero minus ad moderandas contiones.

Promissum in v. 112[1]) factum:

ὥς τ' ἄφενος[2]) *δάσσαντο καὶ ὡς τιμὰς διέλοντο*

(cf. v. 396) Hesiodus in v. 885 implet verbis ipsis *δάσσαντο τιμάς* e v. 112 iteratis. A Typhonis mentione redit poeta ad Cronidarum historiam. Hi labore exantlato diremptaque viribus contentione, quam habuerant cum Titanibus *ἕνεκα τιμάων* (v. 882), i. e. utri divinos honores obtinerent, regem creant Iovem, qui mox honores iis scite praestat.

Amoris negotium eo pertinet, ut in diis atque hominibus amoris affectum excitet imperioque prudentem in pectoribus mentem subigat (vv. 120—122).

Horci munus est (v. 231), ut plurima ferat damna hominibus, quoties quispiam peierat ultro.

Oceani filiabus hanc *μοῖραν* Iuppiter obicit, ut viros educant (vv. 364 sqq.):

αἳ κατὰ γαῖαν
ἄνδρας κουρίζουσι σὺν Ἀπόλλωνι ἄνακτι
καὶ Ποταμοῖς, ταύτην δὲ Διὸς πάρα μοῖραν ἔχουσι.

Deinde Stygis *τιμήν* (cf. v. 399 *ἐτίμησε* = v. 412) comperimus e v. 400: eam enim Iuppiter in hoc constituit munere deorum fidem ut astringat iure iurando.

Ad Hecatae sortem (*μοῖραν* v. 413), multarum in terris rerum altricem multorumque bonorum hominibus effectricem, pertinent ea, quae poeta longiore loco (vv. 411—452) de eius potentia atque honoribus praedicat, qui hymnus desinit in verbis: *αἳ δέ τε τιμαί.*

Atlas capite ac manibus caelum sustinere dicitur imposita hac ei sorte a Iove (v. 520):

ταύτην γάρ οἱ μοῖραν ἐδάσσατο μητίετα Ζεύς.

---

[1]) Manca sunt, quae de hoc versu I. Sellschopp, l. l. p. 51 exposuit. Cf. Wilamowitzium, Eur. Herc. ed. II², p. 266 n. 1; Schwartzium, Sitz.-Ber. d. Preuß. Akad. d. Wissensch. 1915, p. 133 n. 1.

[2]) Cf. Wilamowitzium, Hellenistische Dichtung II, Berol. 1924, p. 11 adn. 2; Fehrleum, Philologische Wochenschrift XLVI 1926, p. 700 sq.

Denique ex Iove, supremo deo, et Themide natae sunt *Μοῖραι* (v. 904), quibus maximum Iuppiter tribuit honorem; miscent enim hominibus commoda malis (v. 904):

Μοίρας θ', ᾗς πλείστην τιμὴν πόρε μητίετα Ζεύς.

Sic Veneris munus hoc est, ut praesit rebus Veneriis: miror enim neminem mea quidem opinione adhuc criticorum sagacitate sollertia acumine praestantissimorum elegantem sensisse cogitationum in his versibus compositionem, quae facit omnes partes narrationis aequabiliter perpolitas: Uranus liberos suos odit; omnes, ut quisque primum natus est, in Terrae latebris occultat neque in lucem emittit. Terra autem referta intus ingemiscit; atque liberos parere ex hoc tempore desinere vult; qua de causa Saturnus patris genitalia, i. e. eas partes, quae procreationem efficiunt, demetit. Attamen ex his genitalibus excisis dea nascitur; neque enim frustra Uranus in v. 138 *θαλερός* nominatur, i. e. floridus vel is, qui semper est ad procreandum idoneus ac validus, et hanc ob rem apud Terram et filios in odio est. Sed Urani procreationum perpetuarum finem facere opus erat, ut mundus sine mora crescere posset neve fetibus novis viribus genitalibus perpetuis atque libidine assidua editis interrumperetur; nam si Uranus continuo generare perrexisset, novis semper ac diversis rerum formis succrescentibus certa atque legitima mundi constitutio impedita esset et perturbata[1]). Qua de causa Saturnus Uranum exsecat. Sed tamen in excisis genitalibus magna vis permanet; quas cogitationes praeclaras admiror.

Unum autem illud addam: genitalia sunt non solum eae partes, quae procreationem efficiunt, sed etiam quae amorem excitant; nec frustra poeta hoc loco Uranum amorem concupiscentem tum cum maxime Terrae accubuisse narrat (vv. 176—178):

ἦλθε δὲ νύκτ' ἐπάγων μέγας Οὐρανός, ἀμφὶ δὲ Γαίῃ
ἱμείρων φιλότητος ἐπέσχετο καί ῥ' ἐτανύσθη
πάντῃ·

filius autem eum evirat; attamen ex partibus amoris exsectis, ex amoris spuma virgo nascitur, ex amoris partibus et amoris

---

[1]) Cf. p. 23.

spuma oritur amoris dea; quas sententias maxima admiratione esse dignas quis est qui neget?

Ad v. 203, unde egressi sumus, revertimur. Vidimus illam Hesiodi proprietatem, secundum quam saepe per totam Theogoniam deorum nuncupat *τιμήν* et *μοῖραν*, hoc quoque loco esse adhibitam. Atque etiam isdem verbis poeta utitur. Nam voces *τιμή* et *μοῖρα* (vv. 203—204) etiam copulatae sunt cum in vv. 411—412, 452 tum in formula *ἔμμορε τιμῆς* (vv. 414, 426). Dilucidior res est versu 203 collato cum v. 422:

καὶ τιμὴν ἔλαχον, τούτων ἔχει αἶσαν ἁπάντων

respondent enim voces *λέλογχε μοῖραν* vocibus *ἔλαχον τιμήν* atque verba *τιμὴν ἔχει* verbis *αἶσαν ἔχει*.

Iam ad totius fabulae formam atque indolem transeamus et, quomodo versus cum eis, qui antecedunt et sequuntur, cohaereant, quaeramus. Versus inter se conexos esse neque dividi posse e quibusdam verbis inter se respondentibus perspicuum est ut supra demonstravi[1]). Porro accuratius legentem non fugiet Veneris fabulam veluti hymnum esse compositam. Quod ut confirmem, argumentum brevi comprehendere mihi liceat: exorditur fabula quemadmodum debebat a Veneris origine (vv. 188—195); deinde ei nomina imponuntur (vv. 195—200); postea dea in Olympum ingreditur (vv. 201—202), denique autem poeta honorem eius et sortem verbis exsequitur (vv. 203—206). Eodem modo vv. 36—105 compositi sunt. Habemus enim in vv. 53 sqq. Musarum natales; deinceps Musae choreis ductis ad summum Olympi verticem ipsamque Iovis regiam se conferunt (vv. 68 sqq.). Porro eis nomina tribuuntur (vv. 76 sqq.); denique poeta earum munera perhibet (vv. 81 sqq.).

Eadem ratione cum hymni Homerici paene omnes compositi sunt tum in Venerem hymnus minor (VI): dea ex spuma nascitur (vv. 2—4); deinde Horae eam accipiunt et ornant (vv. 5—13); postremo Venerem in deorum coetum et ad Iovem patrem deducunt (vv. 14—17). Etiam vv. 188—206 Theogoniae Hesiodeae tam plane quasi hymnus compositi sunt, ut singulos versus secludere minime possimus.

---

[1]) Cf. p. 1.

Veneris ortum non defuisse etiam ex eo intellegitur, quia dea in sequentibus Theogoniae partibus identidem invenitur. Venere enim in deorum coetum accepta poeta de deorum amore et coniugiis narrare incipit. Hoc fieri non poterat, nisi antea amoris dea nata erat. Sed iam in primo deorum ordine (vv. 11—21) Venus inducitur; deinde infra Terroris Pavoris Harmoniae mater est (vv. 933—937, 975); porro Phaethontem iuvenem rapit inque templorum adyta receptum *δαίμονα δῖον*, deum inferioris ordinis, facit (vv. 988—991); denique autem Venus secundum naturam sibi insitam vel potius innatam ubique amorem excitat et coitum; quibus locis poeta quasi formulis utitur verbis: *μειχθεῖσ' ἐν φιλότητι πολυχρύσου Ἀφροδίτης* (v. 980) vel *ἐν φιλότητι διὰ χρυσέην Ἀφροδίτην* (vv. 882, 962, 1005, 1014). Quam inepti essent hi versus, nisi antea commemorata esset amoris dea.

Nobis praeterea cogitantibus vv. 207—210 cum v. 187 (si quidem Iacobyi viam sequimur) coniungi nequaquam posse in Veneris historia ne unum quidem versum ab Hesiodo esse abiudicandum pro percepto liquet.

Caput alterum.

De Centimanis et Cyclopibus. De titanomachia.

Iovem omnium deorum summum describere optimum maximum potentissimum per totam Theogoniam Hesiodum contendere in aperto est. Maxime autem hoc propositum ea Theogoniae parte, quam titanomachiam appellamus, consequitur; nam totam titanomachiam eo tendere, ut, quo modo Iuppiter rerum potitus sit, ostendatur, in promptu est: titanomachia quidem Theogoniae est gravissima pars, quam ex Theogonia seiungere nobis non licet. Neque enim theogonia, quod attinet ad materiem, multum distabat a titanomachia: ex paucis fragmentis eius Titanomachiae, quam veteres scriptores affirmant[1]), ex contrario in hoc carmine multo amplius quam titanomachiam tantum lectum esse cognoscimus; nam haec Titanomachia duos libros theogoniam praebentes complectebatur; tamen carmen, quocum nobis res est, Titanomachia inscriptum erat. Recte igitur ex titulo concluseris in omnibus theogoniis eas partes, in quibus proelium illud inter deos et Titanes commissum commemoratur et in medium profertur, maximas partes egisse et totius carminis quasi viscera fuisse[2]). Idem transferas ad titanomachiam Hesiodeam: vv. 617—720 tota Theogonia comprehenditur; sola hac de causa

---

[1]) Schol. Ap. Rh. *A* 1165c p. 106 We.; Hygin. fab. 183; Athen. VII 277d; frg. 1—9 p. 6—8, 312 Ki. (Epic. Gr. frg. I); frg. 1—9 p. 66 sq. Aly (Hesiods Theogonie). Sed cave sequaris Alyum, qui illam Titanomachiam unum idemque opus fuisse ac theogoniam cyclicam asserit (Hes. Th. ed., p. XX, 65). V. eundem, Deutsche Literaturzeitung XXXV 1914, p. 2438 sq. Socius sententiae Alyo est Dietzeus, l. l. p. 522.

[2]) Idem occurrit apud Musaeum: cf. frg. 18 p. 228 Ki. (Epic. Gr. frg. I), qui fragmenta ad titanomachiam pertinentia a ceteris disiungit; frg. 4 p. 10 Kern; frg. 1 p. 22 Diels (Die Fragmente der Vorsokratiker I[5]), qui in adnotatione caute supplet *Τιτανο[μαχίᾳ ἐπι]γραφείσῃ* (cf. etiam p. 24, 14), = Eudoc. Viol. DXV p. 405 Flach (cf. Keilium, Ap. Rh. Arg.

quin titanomachia ex Theogonia expungi non possit mihi non dubium est.

Ineunte titanomachia mancam legimus narrationem et imperfectam, quippe cum et desint nonnulla ad rei intellectum maxime necessaria et omnis tenor mirus sit nec satis rei conveniens; poeta enim scripsit (v. 617):

. . . ὡς πρῶτα πατὴρ ὠδύσσατο θυμῷ

Cuius est hic pater? Cur poeta non attulit eius nomen? Nescimus, si solam hanc fabulam ex Theogonia exemptam, i. e. sine aliis Theogoniae partibus, legimus; sin autem Theogoniam totam perlustramus, Uranus solus pater in hoc versu intellegendus est. Sed cur Hesiodus nomen eius non attulit? Recte acceperis poetam alium locum antea commemoratum respexisse. Sed in tota Theogonia nullus alius locus invenitur, ad quem haec verba ὡς πρῶτα πατὴρ ὠδύσσατο θυμῷ . . . spectent nisi vv. 147—163. Praeterea ex illis versibus Centimanos nondum liberatos esse discimus. Ex vocibus δῆσεν quoque (poeta consulto aoristum adhibuit) et πρῶτα intellegi potest titanomachiam numquam carmen sui iuris fuisse a poeta Theogoniae insertum, sed ex locis antecedentibus pendere et cum Theogonia tam arte cohaerere, ut ab ea solvi non possit.

Etiam haec verba ad nullum alium locum pertinent nisi ad eum, quo Uranus Centimanos in specum iacit subterraneum (vv. 155 sqq.). Itaque de his versibus nonnulla verba facere mihi liceat, priusquam ad titanomachiam redeam.

Dietzeus nuper[1]) de his versibus[2]) disputans Centimanos

---

a Merkelio ed., p. 300; Flachium, Untersuchungen über Eudokia und Suidas, Lips. 1879, p. 122 sqq.; Pulchium, De Eudociae quod fertur violario, diss. Argentor. 1880, p. 39). V. Passowium, Musaeos, Lips. 1810, p. 48, 73; Schoemannum, op. acad. II, p. 8; Gruppeum, Die griechischen Kulte und Mythen I, Lips. 1887, p. 629 sqq.; A. Rzach, R. E. XVI 1, p. 763, qui dicit: „eine Titanenschlacht paßt sehr wohl in den Rahmen einer Theogonie hinein." Ego autem contendere ausim non solum titanomachiam in theogoniam quadrare, sed omnino theogoniam sine titanomachia cogitari vix posse.

[1]) l. l. p. 523.

[2]) Sententias Wolfii Heynei Bernhardyi Lennepii Muetzellii, quas Schoemannus optime congessit (op. acad. II, p. 96 sqq.), hic brevitatis causa consulto praetereo. Cf. eundem, op. acad. II, p. 18.

solos atque Cyclopes atras in tenebras abditos esse contendit; nullo enim loco Hesiodum Titanes quoque esse reconditos narravisse; ideo poetam *παῖδας φίλους* (vv. 162, 164), qui patrem ulciscuntur, nullos alios nisi Titanes intellexisse. Qua de re quamquam Dietzeus summa sagacitate disputavit, tamen ei assentiri nequeo. Nam ex verbis (v. 154):

ὅσσοι γὰρ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο

magnus numerus liberorum, qui ex Urano et Terra geniti sunt, cognoscitur[1]); neque tres liberos neque sex poeta voce „*ὅσσοι*" significat, sed omnes complectitur. Quoniam his verbis

ὅσσοι γὰρ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο,

si quidem spectarent ad proximos, Centimani soli intellegi non possunt, absque dubio non solum Cyclopes, sed etiam Titanes in numerum illorum „*ὅσσοι ... ἐξεγένοντο*" referendi sunt. Sin autem haec verba ad alios Urani et Terrae liberos extra Titanes spectant, proximos, i. e. Centimanos, intellegi necesse est. Sequitur igitur nullos alios nisi Centimanos ab Urano reconditos esse. Sed ex vv. 501 sq.:

λῦσε δὲ πατροκασιγνήτους ὀλοῶν ὑπὸ δεσμῶν
Οὐρανίδας, οὓς δῆσε πατὴρ ἀεσιφροσύνῃσιν

Cyclopes quoque vinctos esse discimus. Poetam autem idem significavisse vocibus *ἀποκρύπτασκε ἐν κευθμῶνι* (v. 157) et *δῆσε* (vv. 502, 618) mihi manifestum est. In vv. 155 sqq. igitur non solum de Centimanis, sed etiam de Cyclopibus et (nam cur illis solis licet?) Titanibus cogitandum est.

Accedit autem hoc: si Titanes ab Urano non vincti sunt, sed liberi ut dicit Dietzeus, quaestio exsistit, cur tandem Saturnus patrem exsecuerit. Quamquam enim hoc fecit, tamen Cyclopes atque Centimanos non liberavit ut postea animadvertimus: ex vv. 501 et 617 nondum liberatos esse apparet. At Titanes numquam ut asserit Dietzeus ab Urano vincti erant. Quam rem igitur Saturnus mente agitat?

Terra quidem onere molesto liberari cupit, nam *ἐντὸς στεναχίζετο* (v. 159). Tamen, si Dietzei sententiam sequeremur,

[1]) Etiam e voce *πάντας* (v. 157) elucet omnes liberos, etiam Titanes inclusos neque in lucem emissos esse.

hoc onus Terrae Urano castrato nihilo minus esset. Quo igitur consilio Saturnus patrem castravit?

Sane opponas Saturnum patrem nulla alia de causa exsecuisse, quam quod denuo Terram concipere ab Urano, qui liberos iterum abdidisset, prohibere volebat. Qua de causa Saturnum castravisse quidem patrem neque alio modo eum necavisse. Recte! Nam quin huius modi fabulae, quas apud omnes totius orbis terrarum populos, qui ab omni humanitatis contagione abstinebant ingeniumque sincerum et integrum servabant, invenimus[1]), olim eo tantum valuerint, ut finis immoderatae rerum creationi statueretur, mihi extra omnem dubitationem positum est. Sed posterioris temporis poetae et scriptores hanc fabulae vim obliti sunt vel consulto variaverunt. Neque scio, an inter hos iam Hesiodus numerandus sit; nam ex vocibus *στεινομένη*[2]) (v. 160) et *ἐντὸς στεναχίζετο* (v. 159) collegeris Terram inclusis in corpore suo liberis gravatam vehementer indoluisse utque liberaretur ab hac saburra summo opere petivisse[3]).

Sed cum hac coniuncta est alia fabula apud omnes populos dilatata, cuius argumentum est hoc:

---

[1]) Cf. Bastianium, Die heilige Sage der Polynesier, Lips. 1881, p. 36 sqq.; Dieterichium, Abraxas, p. 76 adn. 4, quem refutavit Pohlenzius, Neue Jahrb., p. 589 adn. 2 et R. E. XI 2, p. 2006; A. Lang, Myth, Ritual and Religion I², Lond. 1901 (= Myth I²), p. 185, 244, 280—289, 290 sqq., II², Lond. 1901, p. 53; Frobenium, Das Zeitalter des Sonnengottes I, Berol. 1904, p. 268 sq., 335 sqq.; Wincklerum, Wissenschaft und Bildung XV² 1919, p. 84, 109; aliter iudicatur Altorientalische Texte zum alten Testament², Berol. et Lips. 1926, p. 110. Toto caelo abhorrent ab his, quae Ap. Rh. I vv. 496 sqq. (cf. Verg. Ecl. VI vv. 31 sqq.) et Euseb. Chron. I; I p. 18 Schoene exponunt.

[2]) Cf. Iacobyum, Herm., p. 190.

[3]) Abhorrent ab ea in qua nata est fabulae forma Orpheus et Apollodorus. Nam apud utrumque poetam Uranus castratur propterea quod Terra marito suo irascitur:

Orpheus: (Athenag. Pro Christianis 18 p. 20 Schw.; frg. 57 K.) *διὸ καὶ ὀργισθεῖσα ἡ Γῆ* ... (cf. Apollod. I 1, 6: *ὀργισθεῖσα ἐπὶ τούτοις* [*Ῥέα*])

Apollodorus: (I 1, 4) *ἀγανακτοῦσα ἐπὶ τῇ ἀπωλείᾳ* (cf. Tzetz. Th. v. 72

ἀγανακτήσαντες δεινῶς οἱ παῖδές τε καὶ μήτηρ
δρέπανον κατεσκεύασαν).

Habebat[1]) olim vir ex uxore sua filium unum vel complures. Sed cum ei praedictum esset fore ut a liberis suis opprimeretur vel, si habet regiam potestatem, regno exueretur[2]), partum de medio tollere constituebat. Mox cum uxor puerum pareret, pater eum exponebat. Sed filius occulto accrescit posteaque, ubi primum adolevit, patrem ulciscitur: sic oraculum evenit[3]).

Iam hoc loco interroget quis: cur Uranus liberos abscondit? Respondeo: propterea quod ei periculum intentatur ab illis. A quo? A Saturno. Ergo si non omnes, Saturnus certe (i. e. Titanes) includendus erat! Sed pergamus.

In nonnullis fabulis filius aut filia in caverna exponitur: Danae in turrim aeneam conicitur vel Abraham in specu subterraneo occultatur; quae exempla facile augeri possunt.

Plerumque autem filius in fiscella includitur; atque iam diu notum est fiscellam vel specum nihil aliud significare[4]) nisi matris uterum[5]).

---

1) Cf. Robertium, Oidipus I, Berol. 1915, p. 64; Rankium, Schriften zur angewandten Seelenkunde V² 1922, p. 79.

2) V. Pind. Isthm. VIII v. 33; Ap. Rh. IV v. 801.

3) Eandem vel similem fabulam invenimus apud Babylonios (Gilgamos, Marduk-Tammuz, Sargon), Aegyptios (Osiris, Thot), Iudaeos (Abraham, Moses, cf. Ed. Meyerum, Die Israeliten und ihre Nachbarstämme, Hal. Sax. 1906, p. 46 et Kleine Schriften I², Hal. Sax. 1924, p. 317), porro apud Indos (Candragupta, Karna, Krishna, Trakhan, Vikramaditya), Persas (Darab, Cyrus, Feridun, Kaikhosrav, Zal), Graecos (Adonis, Aegisthus, Aenus, Aeolus, Amphion, Bacchus, Boeotus, Danae, Erichthonius, Hercules, Hippothous, Ion, Iuppiter, Neleus, Oedipus, Paris, Pelias, Perseus, Saturnus, Telephus, Theseus, Vulcanus, Zethus), apud Romanos (Romulus), Celtas (Lug), Germanos (Scëáf), Finnos (Kalewi-Poeg, Kullerwo). Cf. Lessmannum, Die Kyrossage in Europa, Programm der Städtischen Realschule zu Charlottenburg 1906.

4) Cf. Rankium, Schriften zur angewandten Seelenkunde V 1909, p. 70 et Schriften zur angewandten Seelenkunde V² 1922, p. 97.

5) Hoc modo Rankius interpretatur etiam Oedipodis verba (Oed. Rex vv. 1410 sqq.):

ὅπως τάχιστα πρὸς θεῶν ἔξω μέ που
καλύψατ' ἢ φονεύσατ' ἢ θαλάσσιον
ἐκρίψατ', ἔνθα μήποτ' εἰσόψεσθ' ἔτι

(Das Inzest-Motiv in Dichtung und Sage, Lips. et Vind. 1912 [= Inzest-Motiv], p. 259 n 1). Etiam fabellae populares idem argumentum habent:

Sed quid? En habemus hic fabulam veram atque nudam[1]); neque enim poeta alia verba pro utero ponit. Affirmatur autem haec sententia duobus argumentis: Saturnus tum maxime Uranum ex insidiis adoritur, cum amplecti Terram ille parat. Unde perspicuum est etiam nostram fabulam cum aliis in eo congruere, quod filius (i. e. Saturnus) matrem amat et hac de causa Urano impedimentum coitus patrandi inferre studet.

Deinde memoratu dignum videtur paulo post ex Urani sanguine in terram sparso Erinyas enasci, quas Rankius[2]) appellat „Projektionen peinigender unbewußter Abwehr- und Reueimpulse in die Außenwelt"[3]).

His omnibus perpensis nemo iam dubitabit, quin Titanes ab Urano abstrusi sint. An credis Uranum alios liberos reicere, aliis libertatem concedere? Nempe omnibus his in fabulis (in Urani fabula eodem modo atque in Saturni vv. 457 sqq.) semper eadem narrantur: pater omnes suos liberos interimit praeter unum.

Sed mirum videtur esse Titanes, quamquam vincti sunt, patrem exsecantes se ipsos atque fratres liberare. Quamquam enim Saturnus solus postea patrem castrat, tamen Terra ad omnes Titanes (nullos alios nisi Titanes hoc loco intellegendos esse infra p. 26 sqq. demonstrabo) verba facit (v. 164: παῖδες ἐμοί . . ., v. 167: πάντας ἕλεν δέος). Interroget igitur quis, num Terra ad reconditos liberos verba facere vinctosque incitare potuerit, priusquam soluti essent. Hoc loco et saepius in Theogonia monendum est rationes cogitandi atque intellegendi veteris auditoris et novi lectoris inter se differre. Neque enim veteres in his rebus aestuabant: fabulam illam cognoverant, versus

---

cf. Usenerum, Sintflutsagen, Bonnae 1899, p. 108 (= Walachische Märchen [ed. Arthurus et Albertus Schottius], Stuttg. 1845, nr. 27).

1) Infeliciter de hac re agit Mayerus, lex. myth. a Roschero ed. II 1, p. 1542: „ein sehr einfaches ökonomisches Motiv, welches man unter den Söhnen mancher Bauernfamilie antreffen kann; nur würde man als dessen Vertreter nicht gerade den Jüngsten erwarten". In omnibus his fabellis minimus quidem natu e filiis ab interitu servatur (cf. Wilamowitzium, Kleine Schriften V 2, Berol. 1937 [= Kl. Schr. V 2], p. 172).

2) Inzest-Motiv, p. 331.

3) Cf. Schwennium, Th. d. Hes., p. 6* adn. 2.

poetae non mirabantur, at Terram liberos, etiamsi conclusi erant, inflammare posse iis perspicuum erat et nullius approbationis indigebat. Simili enim modo Iuppiter postea Themin et Mnemosynen in matrimonium ducit, quamquam in Tartaro quidem illae deae habitant (vv. 886, 915)[1]. Rationis certam conclusionem veteres auditores in deorum et herorum fabulis numquam probabant: alia narratio ad aliam nihil pertinebat. Ideo ne novis quidem lectoribus in his rebus offendere licet. Praeterea autem — quod est magni momenti — Graeci, quamquam aliquas res uno nomine appellabant, tamen diversas significabant; sub nomine „*Γαῖα*“ et deam et terram intellegebant; alio enim loco hoc plane et aperte perspicimus (v. infra p. 52).

Qua re expedita quaestio exsistit, quinam sint illi *παῖδες φίλοι*. Dubitaverunt enim viri docti et certaverunt multis verbis; sunt, qui Titanes minime in hoc numero fuisse statuant; sunt, qui dicant omnes intellegendos esse filios, id est Titanes Cyclopes Centimanos. Sed cur Saturnus quidem patrem exsecat, quamquam omnes in magno timore versantur et scelus reformidant (v. 167):

> ... *τοὺς δ' ἄρα πάντας ἕλεν δέος, οὐδέ τις αὐτῶν φθέγξατο?*

Nonne Centimani et Cyclopes, qui robustissimi sint viribusque maximum valeant, potius quam Saturnus ad hoc facinus perficiendum apti sunt?

Respondeat quis Saturnum ad omnium opinionem patrem exsecuisse, neque autem Hesiodum ab hac aetatis suae existimatione discedere potuisse. Nam apud omnes et poetas et scriptores veteres Saturnus patrem castrat, etiam apud Apollodorum, quamquam illic Oceanus solus patrem punire veretur[2]).

---

[1]) Cf. v. 851; Paus. VIII 37, 5; Ed. Meyerum, Kleine Schriften II, Hal. Sax. 1924 (= Kl. Schr. II), p. 39; Zieglerum, l. l. p. 1504; Dornseiffium, Arch. Myth., p. 19; Schwennium, Th. d. Hes., p. 7. V. p. 58; itaque me sententiam Kernii, Rel. d. Gr. I, p. 254 et Wilamowitzii, Kl. Schr. V 2, p. 168 removere coactum esse doleo.

[2]) Miris modis aliorum quoque populorum fabulae hac in re concinunt; cf. Bastianium, l. l. p. 37: „one only had pity“; A. Lang,

Sed huius rei etiam alia est causa: Uranus exsectus est, deinde Venus nascitur. Neque autem Titanes liberatos esse rerumque mundi potiri apud Hesiodum legimus. Omittit fortasse hoc poeta propterea quod Urano exsecto nihil aliud fieri poterat. Veteres enim auditores hoc intellegebant; nam fabellam satis cognoverant. Nec vero Centimanos atque Cyclopes non esse solutos invenimus. At haec nonne mira sunt? Sin autem quaerimus, num haec narratio magnam prodat artem, nego. Nam poeta dissensiones admisit ibi quoque, ubi clarius et melius dicere poterat. Liberrime Hesiodo concedamus alios Terrae liberos solutos esse tacenti; alios autem nondum liberatos esse silentio praeterire ei non licebat[1]).

Accedit autem hoc: conferas quaeso v. 138 et v. 155[2]): mirum in modum hos versus inter se congruere nemo est qui neget; praeterea autem voce „δεινότατοι" inter se discrepant. Sit sane conclusiuncula fallax, quod his discrepantiis vel repetitionibus versus aliquos ab Hesiodo esse alienos demonstramus; sin autem inter se dissidentes versus tam arte cohaerent neque ullo spatio dirempti sunt, magna difficultas in eis posita videtur esse.

Quibus argumentis allatis versus 139—153 eo loco, quo nunc legimus, a poeta esse scriptos conprobare non possumus. Nec tamen ab Hesiodo alieni sunt; quin etiam quaedam Theogoniae partes sine illis versibus sunt obscurae atque intellegi vix possunt. Ex quo efficitur Hesiodum versus 139

Myth I², p. 291. Etiam hic ex sex liberis unus iniuria abstinet. Itaque Oceanus in posterioris aetatis fabellis est in sua potestate et in Urani locum regno succedit. Cf. narrationem quae est de Tawhiri-Matea apud Bastianium, l. l. p. 38 narratam.

1) Inepta sunt, quae de hac re Dietzeus (l. l. p. 527) scripsit; paene ridicula mihi videntur eius verba: „Kronos ist ein guter Realpolitiker".

2) Cf. Schoemannum, Hes. Th. ed., p. 106 sqq., 109 sqq.; A. Meyerum, De compositione theogoniae Hesiodeae, diss. Berol. 1887, p. 54 sqq.; Schwartzium, l. l. p. 134* adn. 2; Ed. Meyerum, Kl. Schr. II, p. 64 n. 1; Iacobyum, Herm., p. 185 sqq. Cf. porro, quae P. Mazon ad hunc locum in Hes. carm. editione sua egregia in nostra patria iniquitate temporum hodie non publicata p. 28, 37 adnotavit; Wilamowitzium, Herm. LXIII 1928 (= Herm.), p. 369.

—153 primo omnino non scripsisse atque postea demum inseruisse eo tempore, cum posteriores Theogoniae partes componebat. Sin autem versus 139—153 deerant, nulli alii nisi Titanes ab Urano abscondi poterant. Omnia igitur si complectimur: sive versus ab initio scripti erant suo loco, sive deerant: Titanes ab Urano terra abditi erant. Sin autem — ut dicit Dietzeus — Centimani soli et Cyclopes vincti sunt, versus 154—160 removendi sunt, praeterea *ἅρπη* supervacanea est, versus igitur 161—163 expellendi sunt, quare fieri non potest, ut Uranus exsecetur, nec vero Venus oriri potest; in infinitum abimus[1]).

Hesiodus igitur primo Titanes solos vinctos descripsit; Saturnus autem patre exsecto fratres liberat. Qua re concessa versibus 138—210 bonus vel optimus sensus efficitur; nam duae offensiones uno ictu, ut ita dicam, corruunt:

1. vv. 138 et 154 inter se congruentes removentur,
2. vv. 207—210, in quibus Uranus liberis suis nomen „*Τιτῆνες*" dat, artius cum vv. 131—138, in quibus nomina singulorum liberorum appellata sunt, cohaerent.

Si quidem vv. 139—153 non expungeremus, Cyclopes et Centimani versibus 207sqq. antecederent; quare nomen *Τιτῆνες*

---

[1]) Schwennius quamquam totam narrationem seiungere mavult (Th. d. Hes., p. 10), tamen vv. 147—149 Hesiodo tribuendos esse iudicat propterea quod poeta in v. 617 de Centimanis verba facere non potuerit, nisi antea monstra illa introduxerit (Th. d. Hes., p. 9, 55). Fugerunt Schwennium vv. 501 sqq., in quibus poeta nonnulla verba de Cyclopibus infulcit: ergo Cyclopes quoque antea commemorandi sunt, si Schwennii sententiarum quasi seriem persequimur. Sic versus in pristinum locum reponentes nihil proficimus (cf. Schwartzium, l. l. p. 134* n. 2; Iacobyum, Herm., p. 186). Sed etiam in v. 502 vox illa obscura *πατήρ* exstat, in eodem versu iterum verbum vinciendi (*δῆσε, δεσμῶν* v. 501) poeta adhibet. Sed quid? Nonne has duas partes 501 sqq. et 617 sqq. inter se cohaerere in propatulo est? Vv. 501 sqq. quoque postea ab Hesiodo insertos esse infra p. 53 sq. exponam. Quibus in universum dictis superest, ut Schwennii sententiam, quam de vv. 144—145 profert (Th. d. Hes., p. 9), impugnem. Hic enim Hesiodus, quem in nominum etymologia libenter versari iam dudum notum est, Cyclopum nomen ab oculo orbiculato ducit, qua de causa versus tam dilucide Hesiodi rationem cogitandi praebentes explodendos esse nemo asciscat (cf. Friedlaenderum, Herm. XLIX 1914, p. 11 adn. 1).

in v. 207 vix ad Urani liberos in vv. 131—138 appellatos solos[1]) pertineri potest; nam in v. 154 Hesiodus alios quoque Urani liberos intellexit; nunc autem perspicuum est, quinam sint illi „Τιτῆνες“: Hesiodus nullos alios nisi Saturnum et fratres ac sorores eius hoc nomine appellat. Adhuc enim hos Urani liberos solos nomine Titanum notavi, tamquam hoc nulla fuisset umquam in dubitatione versatum. Sunt autem, qui omnes Urani liberos „Titanes“ appellent. Quos viros doctos vv. 207 sqq. refellere non possum, si vv. 139—154 suo loco iure optimo leguntur. Nec vero v. 424, qui est de Hecata:

οὐδέ τί μιν Κρονίδης ἐβιήσατο οὐδέ τ' ἀπηύρα,
ὅσσ' ἔλαχεν Τιτῆσι μετὰ προτέροισι θεοῖσιν,

res dilucida est. At mea interpretatione non iam dubium est, quin Hesiodus nullos alios nisi Saturnum et fratres eius ac sorores in nomine „Τιτῆνες“ intellexerit. Eadem autem sententia exprimitur in vv. 392 sqq.:

εἶπε δ', ὃς ἂν μετὰ εἷο θεῶν Τιτῆσι μάχοιτο,
μή τιν' ἀπορραίσειν γεράων . . .
τὸν δ' ἔφαθ', ὅς τις ἄτιμος ὑπὸ Κρόνου ἠδ' ἀγέραστος,
τιμῆς καὶ γεράων ἐπιβησέμεν . . .

vocibus „Τιτῆσι“ (v. 392) et „ὑπὸ Κρόνου“ (v. 395) ad eosdem deos spectantibus

et v. 851:

Τιτῆνές θ' ὑποταρτάριοι, Κρόνον ἀμφὶς ἐόντες

verbis „ἀμφὶς Κρόνον“[2]).

---

[1]) Etiam in transitu illo tam praecipiti, quo post absolutam de Veneris ortu narrationem ad Titanum appellationem deducimur, iam a Welckero (Hes. Th. ed., p. 121) aliisque notato offendat nemo eorum, qui Hesiodi scribendi rationem cognoverint. Nam apud hunc poetam rudem atque sincerum ubique elegantiam loquendi et disserendi desideramus. Saepius cum in Theogonia tum in Operibus poeta subito et abrupte ad aliam fabulam transit (cf. p. 5 n. 1). Etiam ex magno spatio, quod interiacet inter illos versus et nominum indicem (vv. 133—137), minime emergit versus ab Hesiodo alienos esse; nobis enim spatium inter ἣ δ' (v. 295) et Κητώ (v. 270) non multo minus esse cogitantibus profecto vv. 207—210 Hesiodo dignos esse apparet.

[2]) Eo magis miror multos viros doctos ea, quae ante pedes sunt, non intellexisse: cf. Mayerum, Die Giganten und Titanen, Berol. 1887

Quoniam his expositis Uranus Titanibus solis nomen imponit neque omnes liberos complectitur, iam ex hac re patet Cyclopes et Centimanos primo in liberorum serie nondum commemoratos fuisse.

Denique inde elucet, cur Hesiodus Titanes solutos esse silentio praetereat: de Cyclopibus atque Centimanis nihil exposuerat; Titanes autem liberari ex se intellegebatur. Cyclopes et Centimani numquam in Urano exsecando versabantur; quod erat officium Saturni solius atque Titanum.

Multa igitur sunt in Theogonia Hesiodea, quae interpretis curam in hac re requirant; apud Orpheum contra manifestum est solos illos priores in Tartarum a patre deiectos esse, quorum ulciscendorum causa mox Terra Titanes edit[1]). Ne impeditus sit ductus actionis sententiarum obscuritate, Orpheus periculum a liberis τῆς ἀρχῆς in Uranum intendi narrat. At apud Apollodorum (I 1, 4—5) legimus Saturnum Centimanos et Cyclopes ab Urano vinctos et in Tartarum iactos iterum vinxisse, postquam eos liberavit. Postea autem a Iove solvuntur: Centimani igitur et Cyclopes bis et vinciuntur et liberantur, ex quo elegantia sermonis omissa posterioris aetatis scriptorem hoc scripsisse patet.

Primo quidem narratio, in qua Terra conficit ἅρπην vel δρέπανον eiusque usum demonstrat filiis, cum versibus 131—138 coniuncta erat. Deinde autem Hesiodus, cum titanomachiam componere et de Centimanis verba facere volebat, se in antecedentibus partibus non modo eos vinctos esse nondum dixisse, sed eos ne commemoravisse quidem animadvertit; nunc cum Cyclopum et Centimanorum natales describendi erant eorumque natura declaranda, tum poeta eos rursus, ut editi in lucem erant, in terrae visceribus reconditos esse dicere debebat. Hic igitur erat Hesiodi sententiarum ordo: Cyclopes

(= Gig. u. Tit.), p. 134; Wilamowitzium, Eur. Herc. ed. I², p. 90: „... neben den Hundertarmen, welche die übrigen Titanen im Gefängnisse bewachen"; eundem, Kl. Schr. V 2, p. 177: „... bei Hesiod gilt der Name ... aber auch von Kindern des Uranos, die nicht in Gegensatz zu Zeus treten"; Lisconem, l. l. p. 76: „... eorum liberos, qui sunt Titanes".

[1]) Athenag. Pro Christianis 18 p. 20 Schw.; frg. 57 K.

quoque et Centimani vincti sunt; nam omnium liberorum immanissimi erant et genitori suo invisi. Quo modo facile vis coniunctionis γάρ (v. 154) enodatur, de qua multa a Iacobyo habetur oratio[1]).

In nulla autem alia Theogoniae parte poeta Centimanos intericere poterat nisi inter Urani liberos. Neque ullum aptiorem locum inveniebat quam post Titanum nomina (vv. 131—138) sententiis versus 138 et 154 coniungentibus interruptis. Nam apud Apollodorum et in ea theogonia, qua utitur Hyginus, ante Titanes dicuntur, quem locum robustioribus filiis aptiorem esse illi poetae intellexerunt. Hesiodus autem hoc nullo alio modo quam versibus 132—133 demutatis consequi poterat. Sed post v. 138 Centimanos et Cyclopes inserere praetulit, quia hoc modo textum corrigere non coactus erat.

Quo quidem modo Hesiodus hos versus inseruerit, disceptare non possumus. Sed eum vv. 154—155 tum demum scripsisse verisimile est, postquam vv. 139—153 infulsit, v. 154 e v. 421 sumentem repetentemque v. 155 ex v. 138 vocibus paulum mutatis. Sic etiam vocem „ὅσσοι“ interpretari possumus. Nam Hesiodus nunc omnes voce „ὅσσοι“ complectitur. Neque autem offensionem et versibus 139—153 insertis et versibus 154—155, quibus transitum parare volebat, additis effectam, quae posita est in eo quod Titanes esse liberatos nec dixit nec dicere debebat, at Centimanos et Cyclopes nondum e vinculis exemptos esse etiam tacuit, poeta Ascraeus animadvertit. At v. 138 in duas partes dividere et eodem modo v. 155 — ut suadet nunc Hohlius[2]) — numero singulari alternante cum numero plurali vetamur. Verum alio modo non solum constructio et coniunctio sententiarum est simplicior et apertior, sed nulla omnino alia ratio, qua usus poeta hanc scripsit partem, exstat. Interpres igitur, qui primitivam Theogoniae formam coniectando restituere conatur, pristinum totius loci habitum talem fere fuisse suspicari potest: primo, i. e. cum Hesiodus Theogoniam componere incipiebat, post v. 138 secutus est v. 156:

---

[1]) Herm., p. 187* n. 2; cf. Schoemannum, op. acad. II, p. 97.

[2]) Cf. Natalicium. Johannes Geffcken zum 70. Geburtstag, Heidelb. 1931, p. 49.

δεινότατος παίδων· θαλερὸν δ' ἤχθηρε τοκῆα
ἐξ ἀρχῆς· καὶ τῶν μὲν ὅπως τις πρῶτα γένοιτο,
πάντας ἀποκρύπτασκε . . .

Haec mihi praemonenda videbantur de Centimanis et Cyclopibus.

Redeamus nunc tandem ad titanomachiam, unde egressi sumus. Hanc Theogoniae partem A. Meyerum[1]) affatim perscrutatum esse notum est. Sed de singulis eius sententiis, quibus nihil mihi videtur improbabilius, nunc iudicare nolo. Atque cum Liscone, qui l. l. p. 73 sqq. de titanomachia quoque capitulum composuit, certare desisto satisque habeo, horum auctorum libros hic attulisse. De omnibus autem offensionibus, quas senserunt illi viri docti, in titanomachia explananda mihi verba facienda sunt. A. Meyerus identidem secum pugnat, quare sententias eius perspicere nemo potest: de v. 700 primo (p. 44) dicit: „v. 700 autem compositor ipse fecit“, deinde (p. 52, 53) dubitat: „unde compositor v. 700 deprompserit, nescio“ (p. 52) et „elegit sibi v. 700 nescio unde“ (p. 53), denique (p. 50) asserit: „ex aliis fontibus immiscuit vv. 687—712“. Simili autem modo de vv. 706—710 et ex alio fonte insertos et a compositore ipso scriptos esse dicit (p. 50, 54). De versibus 688—699 quoque legimus: „. . . altero quodam carmine, cui vv. 687—699 debet; . . . nisi forte vv. 687—699 et vv. 701 sq. in diversis unius carminis partibus, quod maiorem habuisse videbitur ambitum, exstabant“ (p. 44); contra autem: „unde compositor vv. 688—699 deprompserit, nescio (p. 52)“; porro vv. 700—705 ex alio carmine fluxisse modo ait, modo negat (p. 44, 50, 53): „. . . tertio fortasse poemate, unde vv. 701 sqq. sumpsit“ (p. 44) et „ex aliis fontibus immiscuit vv. 687—712“ (p. 50); at contra: „elegit sibi vv. 700—705 nescio unde“ (p. 53). Deinde vv. 708—709 ad vv. 687—705 pertinere contendit (p. 53), sed paulo post (p. 54) hos versus ex contextu eripit compositorique addicit nulla alia de causa, quam quod non intellegantur, nisi aliae partes antecedant. Sed versus ex contextu ereptos ex se intellegi non posse apertum est. Quare

[1]) l. l. p. 37 sqq.

A. Meyerus nullam habet causam horum versuum compositori adscribendorum. De vv. 711—712 dicit hinc (p. 52): „vv. 711, 712 sine ulla dubitatione ex sua (i. e. compositoris) fabrica ortos esse vidimus", illinc (p. 50): „ex aliis fontibus immiscuit vv. 711—712".

Porro autem primo (p. 51) compositorem vv. 617sq. ab vv. 140sqq. trahere statuit („at non modo... sed etiam vv. 140sq. respicit"), deinde (p. 62) hos versus 140sqq. spurios esse dicit („vv. 131—153 interpolatori dandi sunt"). Solum igitur et quasi fundamentum, quod suum in usum vertit, postea ipse diruit. Deinde vv. 644—686 + 713—720 ex titanomachia quadam contendit fluxisse, in qua Centimani minimum vel nihil valuissent (p. 52): „hac in titanomachia Centimani non agebant primas partes". Sed in his quidem versibus de Centimanis solis narratur. Primo locum pugnae non esse appellatum A. Meyerus dicit (p. 38): „ac ne quo loco quidem omnes hae pugnae pugnatae sint indicatur", quam ob rem summa admiratione propterea quod hic A. Meyerus perspicue a veritate desciscit afficimur. Deinde autem locum invenit (p. 48). Denique Centimanos in ea titanomachia nobis ut dicit non tradita, quam compositor expilavit, cum minine celebratos, tum in initio huius carminis non commemoratos esse contendit (p. 52, 53): „illius deperditae titanomachiae ultima demum in parte Centimani celebrantur" (p. 53) et „hac in titanomachia Centimani non abgebant primas partes" (p. 52); contra vero antea (p. 50) eos in eiusdem titanomachiae initio ponit: „illa in titanomachia (i. e. ea deperdita) admonentur Centimani a Iove". Et recte: poeta initio de Centimanis verba facere debebat. Nam Centimani, cum postea subito non solum pugnae socii sint, sed etiam proelium decernant, ante hanc pugnam a deo aliquo, ut cum eo contra Titanes pugnarent, admonendi erant. Hesiodi autem Centimanos ἐπικούρους [1]) inducere multum intererat; quod ex eo dilucidius fit, quod poeta eo tempore, cum titanomachiam componebat, initio totius carminis (v. 147) consulto de Centimanis versus nonnullos intexuit. Sane haec monstra, quorum non minus magnitudo et species insolita, quam robur supra

[1]) Cf. v. 815.

modum ingens est, in fabulis de deorum ac Titanum pugna narratis magnam vim habent semperque cum Iove contra Titanes dimicant ut apud Apollodorum quoque legimus.

Aegaeon autem a Centimanis multo differt et in eos non referendus est. Nam huius dei nomen ad marinorum fluctuum vehementiam pertinet eiusque naturam fratribus dissimilem esse mihi pro percepto liquet. Iam apud Homerum Thetis ex mari eum arcessit[1]); deinde ab aliis aut Ponti aut Thalassae aut Neptuni filius dicitur[2]). Centimani autem Terrae filii sunt et in specu subterraneo habitant.

Accedit porro, quod apud schol. Il. A ad *A* 399 et 404 atque Didym. *A* 399 p. 179 Schmidt Aegaeon cum *θαλάσσιος* et *ἐνάλιος δαίμων*, tum minime referendus in Titanum numerum („*οὐκ ἔστιν δὲ τῶν Τιτάνων*“) appellatur.

Aegaeona igitur a Briareo, quem intellegit Hesiodus, multo differre in aperto est. Sed haec difficultas facile eximitur nobis cogitantibus Aegaeona omnibus locis, quibus solus commemoratur, originem habere e mari; sin autem nuncupatur cum Cotto et Gye, unus ex Centimanis est et munera eorum participat. Centimani autem ubique deorum socii sunt Iovem-

---

[1]) *A* 402 sqq.

[2]) Velut ab Eumelo (frg. 2 p. 6 Ki. [Epic. Gr. frg. I]; frg. 2 p. 66 Aly [Hesiods Theogonie]) et ab Ione (n. 11 p. 255 Bergk [Poetae lyrici Graeci II]) = Eudoc. Viol. XXXII et CCXXI p. 49, 156 Flach (cf. p. 20 n. 2; Flachium, l. l. p. 122 sqq.). Levis momenti est, quod Aegaeon apud Eumelum cum Titanibus pugnat; quo loco praeterea habitans *ἐν τῇ θαλάσσῃ* filius est Terrae et Ponti neque Urani; maritimos igitur inter deos hic numeratur; simili modo cum Titanibus pugnat Aegaeon apud Verg. Aen. X vv. 565 sqq., multo autem post apud Dante, Purgat. XII vv. 29 sqq. Cf. porro schol. Il. A ad *A* 399, Townl. *A* 404, Didym. *A* 399 p. 179 Schmidt, Eust. ad Il. *A* 397 sqq. (ed. Bas. 1560 p. 92, 35; ed. Lips. 1827 p. 101, 31) et ad Il. *A* 402 sqq. (ed. Bas. 1560 p. 93, 32; ed. Lips. p. 102, 38), Ov. Met. II v. 10; Nonn. Dionys. XXXIX v. 285. V. etiam fabulam illam, quae est de Rhyndaco amne, apud Tarrhaeum (frg. 11 a p. 93 Li.; cf. Wendelium, Abhandl. d. Gesellsch. d. Wissensch. zu Göttingen III 1 1932, p. 110), schol. Ap. Rh. *A* 1165 a et b p. 104—105 We., Eust. ad. Il. *A* 397 sqq. (ed. Bas. 1560 p. 93, 23; ed. Lips. 1827 p. 102, 28) narratam. Etiam in Theogonia Hesiodea postea Aegaeona Neptuno generum datum videmus v. 817.

que in certamine illo, quod ad imperium suum firmandum et stabiliendum cum Titanibus init, adiuvant[1]).

Fabula enim de pugna a deis una cum Centimanis facta est in numero earum multarum fabularum, in quibus dei quidam vel monstra foedissima vel homines immenso robore instructi aliis auxilium ferunt. Quae narrationes exstant apud omnes fere populos; etenim ex iis illa fabula Graeca de deis a Centimanis adiutis una est veterrimarum. Omnino tota titanomachia numeranda est in fabulis quibusdam aliis, quibus quo modo duo diversa genera vel deorum vel regum proelium de principatu (cf. v. 882 *περὶ τιμάων*) decernant narratur. Centimanos igitur secludere per omnes titanomachiae partes non licere sine ulla dubitatione perspicuum est.

Hanc de Centimanis potissimum particulam sequitur narratio de Terrae vaticinio instituta. Nec vero hi versus, quibus causam habemus, quam ob rem paulo post Iuppiter a Centimanis quidem auxilium petat, supervacanei sunt. Tum de proelio inter Titanes deosque commisso poeta nondum narraverat; itaque de hac contentione hic versus nonnullos intexuit. Neque autem sermone non solum carminum epicorum proprio, sed omnino Graecorum tempus praeteritum, quod est adhibendum poetae res gestas multo ante perfectas postea describenti, significari potest; temporis plusquamperfecti vis, quae inest vocibus *μάρναντο* (v. 629) et *ἐμάχοντο* (v. 636), lingua Graeca non notatur (cf. p. 4).

Dei contra Titanes decem per annos pugnaverunt continuos, at neutra pars poterat victoriam reportare, donec tandem Iuppiter Terrae monitu Centimanos carcere, quo inclusi olim ab Urano fuerant, emisit. Nunc socii arcessuntur. Sequitur Iovis allocutio, Cotti responsum. Haec cum tam verbose descripta sint, socios novos victoriam decreturos esse suspicemur. Dei Centimanorum fide incitati proelium redintegrant; pugnam ineunt, acies instruuntur; utrimque manus conseruntur; mundus totus contremescit, clamor pugnantium ascendit ad caelum Tartarumque pervadit. Neque tamen victoriam decernere pos-

[1]) Cf. Bappium, Prometheus, Programm des Gymnasiums zu Oldenburg 1896, p. 29 adn. 2.

sunt. Tunc Iuppiter ab Olympo descendens exsurgit; imperium occupare vult; de regno certat; se ipsum igitur proelio invictum praestare debet. Itaque novam pugnam tumultumque poeta describit. Iuppiter fulmina spargit magna cum vi, mare terra caelum ardent; res videtur itidem se habere, ac si caelum et terra collidantur. Ingentibus procellis omnia quatiuntur, fragor caeli advehitur se miscens cum ventorum tremitu ad aures pugnantium, qui duplici vi nunc se intendunt; proelium profligatur ac paene tollitur. Denuo Centimani rem gerunt. Eorum est, Titanes vincire et sub terram mittere. Sic pugna finitur.

Magna poetica vi Hesiodus hanc pugnam atrocissimam depinxit; cuius tres partes inter se neque discrepant neque genuinam narrationis continuationem interrumpunt; alia enim post aliam sine ulla difficultate vel offensione perspicitur et legitur. Ex compositionis ratione qua cogitatione usus poeta hoc proelium effinxerit intellegere possumus; quibus de causis nullam habemus causam ad aliquam titanomachiae partem expungendam. Pugnam autem bis describi facile est intellectu. Nam ubi primum Iuppiter intrat, adversarii denuo manus conserunt, tumultus et clamor pugnantium augetur, loca pugnae dilatantur: haec omnia novi deorum regis vi efficiuntur.

His in universum dictis iam paululum accuratius inquiramus in singulas partes. Poeta verbosius, quam opus esse nobis videtur, describit, quibus in angustiis Centimani vincti versati sint; vv. 158 sqq. igitur respicit eosque auditoribus in memoriam revocat. Neque autem hanc molestam ut videtur A. Meyero repetitionem omittere possumus propterea quod cum illi duo loci maiore spatio distant, tum Centimani nunc habent magnam auctoritatem. A. Meyerum nuper secutus est Schwennius (Th. d. Hes., p. 21), qui vv. 621—623 ea de causa uncis saepit, quod in his versibus duo participia eandem sententiam exprimentia exstant. Sed nescio, cur participia crebra, quae in versibus sese excipientibus inveniuntur, obstent, quominus hi versus Hesiodi genuini putandi sint: complura participia, quibus in eodem versu exstantibus eadem vis inest, saepe apud Hesiodum occurrunt (cf. vv. 98, 284). Deinde poeta ostendere vult minime sine ulla causa Centimanis per totam pugnam

primas partes tribui, sed eos deis summam gratiam debere, quia magnas in vinculis aerumnas perpessi sunt, donec tandem a Iove ceterisque Saturni et Rheae liberis soluti sunt Terrae consilio, quippe quae victoriam iis hac tantum condicione portendi docuerit; itaque Cottus in oratione sua Iovi gratias persolvit in versibus 658—663, quorum voces *ἀμειλίκτων ὑπὸ δεσμῶν* et *ὑπὸ ζόφου ἠερόεντος* ad versus, quibuscum nobis res est, respiciunt.

Patrem (v. 617: *πατὴρ ὠδύσσατο*) nullum alium nisi Uranum intellegere possumus; cuius rei, quae ex se intellegitur, numquam fecissem mentionem, nisi F. A. Wolfius ab hac opinione dissensisset. Nam hic vir immortalis memoriae Iovis patrem, i. e. Saturnum, intellexit. Sed num est Saturno causa, quam ob rem Centimanos oderit? Quo modo quando cur eos vinxerit, interroget quis. Iuppiter igitur, de quo haudquaquam hoc loco poeta loquitur, voce *πατήρ* non significatur. Sed porro pergamus! Centimani habitant *ὑπὸ χθονὸς εὐρυοδείης* (v. 620); poeta his vocibus idem exprimit atque in v. 158 verbis *γαίης ἐν κευθμῶνι*; nam in hac voce „*κευθμών*" vis inest significans fauces aliquas. Aeschylus quoque poeta Tartarum describens (Prom. v. 220) hoc vocabulo utitur. Terra deos cum Centimanis victoriam reportaturos esse a Titanibus vaticinata erat. Terra hic commemorata versus ipsos vetusti poetae esse in promptu est; quanti enim momenti vetusta in fabula Terra, dea vaticina, fuerit versus 463 et 470 docent[1]). Hoc autem loco poeta illa narratione causam afferre vult, cur Centimani quidem deis auxilio veniant; itaque Hesiodus particula *γάρ* (v. 627) utitur. Nec vero certaminis diuturni inter Titanes Saturnique liberos per totos decem annos dubio semper eventu et incerta victoria tracti mentio facta erat; qua de causa poeta iterum (v. 629) eandem particulam adhibet. Quamquam hae particulae, in quibus tantopere offendit A. Meyerus, durae sunt, tamen eis carere non possumus. Praeterea autem ex his particulis elucet auditores tunc quoque (i. e. Hesiodi aetate) nihil neque in hac Theogoniae parte neque in iis, quae praecesserunt, de pugnae initio et quam ob causam bellum ortum sit esse

---

[1]) Cf. p. 45 n. 2.

edoctos; A. Meyero igitur, qui versus nonnullos vel complures hoc loco perisse existimat, nemo assentiatur.

Nec vero versus 629 et 635 inter se repugnant[1]): propter has tautologias in quibus inveniuntur versus ab Hesiodo abiudicare nequaquam possumus; hic sane poeta versum repetit propterea quod pugnam fuisse dubiam nondum dixerat; nam hanc quidem ob rem cetera omnia efficiuntur; dilucida igitur res mihi videtur esse, praesertim cum Hesiodus etiam particulam *ῥά* addiderit. Quam narrationem mancam esse et sine loquendi elegantia compositam concedo; tamen hanc cogitandi et scribendi rationem duram Hesiodi, poetae sinceri atque inculti, propriam esse per totum carmen videmus[2]).

Deinde postquam Iuppiter Centimanos advocavit nectareque et ambrosia recreatos ad fortitudinem cohortatus est illique strenuam operam polliciti sunt, statim certamen vehementius et maioribus animis instauratur. Dure poeta narrationem traducit a poelio ad Centimanos (v. 639). Neque tamen illi versus ab Hesiodo abiudicandi sunt. Nam et durum transitum et celeritatem dicendi Hesiodi sermonis propriam esse iam supra (p. 5 n. 1) exposui. Homerus quidem diceret: „Centimani postquam liberati sunt, cibo recreati sunt; deinde autem Iuppiter dixit ....“. Sed Hesiodus celerius narrat: „cum nectar et ambrosiam edissent, eis animus augebatur, tunc eos Iuppiter allocutus est sic ....“. Centimanis autem cibum praeberi, priusquam pugnam ineunt, mireris. Sed causam legimus in v. 621:

ἔνθ' οἵ γ' ἄλγε' ἔχοντες

et in v. 623:

δηθὰ μάλ' ἀχνύμενοι κραδίῃ μέγα πένθος ἔχοντες.

---

[1]) Versu 634, quem Schwennius iniuria neglegit (Th. d. Hes., p. 49 adn. 2, 133), quinam sint illi *θεοί* (v. 633), apertius declaratur; nam etiam Titanes Cyclopesque inter *θεούς* referuntur. De vv. 635—636, quos itidem Schwennius eicit, cf. p. 49 et A. Rzach, Jahresbericht über die Fortschritte der klassischen Altertumswissenschaft CCXIX 1924, p. 7.

[2]) Cf. Friedlaenderum, Herm. XLVIII 1913, p. 558 sqq.; Herm. XLIX 1914, p. 11 adn. 1; Sokrates LXVIII 1914, p. 288 sq.; GGA, p. 246, 265 sq.; Das Problem des Klassischen und die Antike, Lips. et Berol. 1931, p. 33.

(Vides, quam necessarii sint hi versus.) Centimani a patre vinculis astricti erant et iam diu sub terra habitabant; quam ob rem nimirum longa custodia debilitati ac defatigati erant. Nunc autem eos vires revocare necesse est, ut pugnam redintegrare valeant. Itaque cibo a Iove recreantur[1]). Hesiodus hoc eadem cura et diligentia narrat atque illud Terrae vaticinium vel pugnam adhuc dubiam. Iovem autem Centimanis hic *ἄρμενα* praebere Hesiodo magni momenti est. Nam poetae multum ut iam supra p. 33 sqq. dixi Centimanorum potissimum fabulam describere interest. Verum Hesiodus ab initio ut Centimani victoriam decernerent animo proposuerat. Cibo autem animus viresque eorum augebantur. Quibus de causis haec Theogoniae pars non supervacanea est; atque miror, quod Iacobyus sine iusta causa hos versus linea in margine sinistra appicta notat[2]). Superest una vox *πάντων* (v. 641), quae officium interpretis requirere videtur. Hic poetam non solum Centimanos sed etiam deos intellexisse credam; nam deorum quoque animus auctus est propterea quod nunc a Centimanis adiuvantur. Nullo autem pacto v. 642 omittere possumus. Nam raro tam aperte dilucideque Hesiodi scribendi ratio rudis atque impedita et structura incondita nobis occurrit ut in his versibus. Hesiodus dicit: „cum Iuppiter Centimanos nectare et ambrosia recreavisset, omnibus animus augebatur"; neque autem pergere valet: „tunc eos Iuppiter allocutus est sic ...", sed repetit: „at cum nectar et ambrosiam edissent, tunc eos Iuppiter appellat". Simillimo modo haec verborum compositio impolita exstat in vv. 142 sqq.:

οἳ δή τοι τὰ μὲν ἄλλα θεοῖς ἐναλίγκιοι ἦσαν,
μοῦνος δ' ὀφθαλμὸς μέσσῳ ἐνέκειτο μετώπῳ.

---

[1]) His perpensis simul profligata sunt, quae Schwennius (Th. d. Hes., p. 133) de hoc loco exposuit. Cave habeas vocem *πατήρ* (v. 643) subiectum ad verbum *παρέσχεθεν* (v. 639) pertinens. Deest enim in v. 639 personae nomen, quae Hesiodi proprietas saepe invenitur (cf. vv. 480, 532). Alias restituendi vias ingressi sunt Goettlingius, Hes. carm. ed., p. 58 adn. (aliter Hes. carm. ed.[2] p. 71 n.); Scheerius, Rh. Mus. XXIV 1869, p. 626; Wieselerus, Coniecturae in Hesiodi Theogoniam, ind. lect. Gott. aestiv. 1872, p. 6; Stadtmuellerus, eclog. poet. Graec. ed., p. XIII; Peppmuellerus, Rh. Mus. XL 1885, p. 622.

[2]) Cf. Hes. Th. ed., p. 88, 138.

Κύκλωπες δ' ὄνομ' ἦσαν ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρα σφέων
κυκλοτερὴς ὀφθαλμὸς ἕεις ἐνέκειτο μετώπῳ.

Neque iterum Iuppiter in v. 649 significat Terrae vaticinationem (v. 628). Haec est eadem dicendi celeritas, de qua supra p. 38 dixi. Orationes Iovis atque Cotti arte cohaerent similemque praebent dispositionem[1]; nam ex more epico respondet Cotti oratio omnes per partes allocutioni Iovis: duorum oratorum alter incipiebat responsum suum eisdem verbis, quibus prior orationem finiverat (cf. vv. 166:172; vv. 543:548)[2]. Omnino poetae epici orationibus libenter utuntur; nam carmina epica his orationibus erant actuosiora. Priora autem Cotti verba, quibus respondet Iovi, gravem praebere ac difficilem quaestionem A. Meyerus putat; sed miro ut mihi videtur modo eam solvit. Conficiuntur eius sententiae ea ex causa, quod iterum rationem cogitandi novam, i. e. nostrae aetatis, adhibet neque ad veterum leges, sed novorum lectorum virorumque doctorum argumentatur ac diiudicat. Exspectat enim post verba *οὐκ ἀδάητα πιφαύσκεαι* (v. 655) Cottum se et alios Centimanos pugnam ad id tempus fuisse dubiam scire dicturum esse. Haec est argumentatio novi lectoris vel scriptoris propria. Veteres autem alio modo meditabantur ac sentiebant. Neque enim Cottus orationem suam incipere poterat: „scimus vos iam diu frustra conatos esse, Titanes superare"; statim de pugna dicere non decebat, sed primo Iovem celebrare eius intererat. Hoc enim erat officium summum deum alloquenti; quo modo etiam verba *οὐκ ἀδάητα πιφαύσκεαι* sunt interpretanda; quadrant enim ad proxima Iovis verba:

μνησάμενοι φιλότητος ἐνηέος, ὅσσα παθόντες
ἐς φάος ἂψ ἀφίκεσθε δυσηλεγέος ὑπὸ δεσμοῦ
ἡμετέρας διὰ βουλὰς ὑπὸ ζόφου ἠερόεντος.

Haec verba, quia erant proxima, Cottus memoria comprehendit. A. Meyerus autem illa Cotti verba a verbis:

ἤδη γὰρ μάλα δηρὸν ἐναντίοι ἀλλήλοισι
νίκης καὶ κράτεος πέρι μαρνάμεθ' ἤματα πάντα

---

1) Cf. I. Sellschopp, l. l. p. 107.

2) Cf. Arendium, Problemata VII 1933, p. 11 passim.

trahit, quae cum multo ante essent dicta Cotto non iam haerebant in memoria. Sed alio modo coniunctio sententiarum est multo simplicior apertior sincerior. Accedit autem hoc: sequuntur verba antecedentibus respondentia:

ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ
ἴδμεν, ὅ τοι περὶ μὲν πραπίδες, περὶ δ' ἐστὶ νόημα

(v. 655); vox enim ἀλλά opposita est voci οὐκ, verbum, quod est ἴδμεν, voci ἀδάητα. Ea igitur, quae ἴσασιν, quae sunt οὐκ ἀδάητα, eadem sunt in utraque parte; quid sit, ex altera parte elucet: scimus te prudentissimum esse et sapientissimum. Ergo in priore quoque parte illud ἀδάητον significat: „Iovem summum esse et prudentissimum inter omnes constat". Deinde Cottus primo ut supra p. 40 dixi proxima Iovis verba excipit et ad ea respondet, quam rem sermonis epici propriam esse scimus: hac quoque de causa illa verba οὐκ ἀδάητα πιφαύσκεαι nullum aliud significare possunt nisi: „Iovem sapientissimum esse in aperto est." Denique autem Cottus prioribus suae orationis verbis Iovem celebrare in animo habet. Quam incommoda essent illa verba, si significarent: „scimus te iam diu frustra conatum esse, Titanes superare viresque tuas informiores esse quam ut pugnam redintegrarent." Sed Cottus dicit: „scimus, qualis sit tua prudentia, tua virtus. Nam sumus sane per te liberati ex inferorum sede odiosa." Quo spectat etiam vox ἀλκτήρ. Cottus enim dicit: „prudentissimum et ἀλκτῆρα te praestitisti, quod nos vinculis liberavisti." Notionem vocis „ἀλκτήρ" esse ampliorem confirmare opus esse non videtur; perinde voce „ἀθάνατοι" (v. 657) poeta tres Centimanos solos significavisse non potest. Immo vero verbis

ἀλκτὴρ δ' ἀθανάτοισιν ἀρῆς γένεο κρυεροῖο

Hesiodus ut saepius facere solet Iovis victoriam regnumque anticipavit, quam rationem etiam in vv. 403 et 458 similique modo in v. 486 iniit. Nam Hesiodus et auditores illius aetatis omnes easdem fabulas et usitatas deorum cognitiones perceperant; quo modo poeta vocem „ἀλκτήρ" intellegeret, non ignorabant. Nihil est in his, quod dubitari possit; nam Hesiodus non

solum personas inducit, priusquam eorum ortum commemoravit, sed etiam actiones anticipat: iam in v. 458 Iuppiter fulmina tenet; sed in v. 504 demum Cyclopes benificii non immemores ei fulmina ministrant.

Cottus igitur dicit: „proelio contra Titanes edito (quod nunc demum committere volumus) te *ἀθανάτων ἀρῆς κρυεροῖο ἀλκτῆρα* praestitisti; nam hac pugna eis (i. e. *ἀθανάτοισιν*) et libertatem et potestatem dedisti; non iam sunt sub ditione illorum *Τιτήνων προτέρων θεῶν*. Minime vero haec consecutus es eo quod Saturnum liberos ad lucem reddere coegisti — nihil enim hi liberi valent; eis liberatis Iuppiter *ἀλκτὴρ ἀθανάτοισιν* appellari non potest — sed Saturno ac Titanibus devictis et ad inferos deiectis.“ Quam cogitandi rationem vetusto poeta dignam esse per totam Theogoniam videmus. Nam Hesiodus omnia haec vetere aetate facta fuisse putabat. At Cottum nunc haec verba ante titanomachiam (olim commissam) facere, tum autem illa verba alio modo esse facienda poeta non cogitat; tantopere in harum rerum cognitione Hesiodus, ut vita sic oratione incultus poeta Ascraeus, se collocare non potuit. „*ἀθανάτων ἀρῆς κρυεροῖο ἀλκτήρ*“ igitur Iuppiter nulla alia de causa appellari potest, quam quod Titanes superavit. Quod Saturnus liberos suos reddit, primum dubium est, quis eum, ut hoc faceret, moverit. Coegerit sane Iuppiter Saturnum, liberos in lucem emittere; tamen „*ἀλκτήρ*“ nominari non poterat. Num Iovis fratres ex Saturni corpore vomitu egesti liberi et *ἀρῆς κρυεροῖο* soluti erant? Minime; necdum enim Saturnus imperio deiectus erat. Hoc modo scholiorum quoque auctor illas voces „*οὐκ ἀδάητα πιφαύσκεαι*“ intellexit; nam explicat (ad Th. v. 655 p. 271 Flach): „*οἴδαμεν, ὅτι πάντα οἶδας καὶ ὑπερέχεις πάντων*“. Sin autem novorum lectorum ratione cogitandi et sentiendi atque ea arte, quam Stoici appellabant *λογικήν*, utimur, facile in errorem inducimur, ut vocem „*ἀλκτήρ*“ alio modo interpretemur certumque Iovis opus ex hac voce efficiamus. Iovem „*ἀλκτῆρα*“ appellatum esse propterea quod Saturnum fefellit putes (si modo Iuppiter neque alius quis Saturnum dolo decepit); hoc quidem modo A. Meyerus hanc vocem explanavit; quem multo ante an alius idem putaverit, haud scio: is, qui v. 496 inclusit. Sed quis hunc

versum intexuit? Neque enim quisquam v. 496[1]) molestum esse inepteque cum antecedenti et sequenti versu coniunctum negare poterit, praesertim cum poeta antea (v. 464 *δαμῆναι*, v. 490 *δαμάσσας*) saepius Iovem Saturnum proelio neque *τέχνῃ* devicturum esse dixerit. Nam haec est vis verbi, quod est *δαμάω*, quae significat: devincere, proelio superare, nec: dolo vincere vel ex communi consensu imperium inire. Magnum igitur et egregrium Iovis opus, i. e. titanomachiam, poeta intellexit. Quam incommoda haec verba essent, si eis demonstrare voluisset auctor Iovem patrem dolo (alio modo efficere non poterat) decepturum esse adducturumque, ut liberos ad lucem reddat. Vocibus *τάχ' ἔμελλε* quoque illud magnum opus indicatur neque res imbelles. Praeterea ex his verbis poetam opus diuturnum futurum in mente habuisse elucet. Minime sane illae voces Iovem Saturnum, ut liberos egerat, commoturum significant. Etiam verba *τιμῆς ἐξελάειν* ad eam rem spectant, quod Saturnus de summo loco, quem primus deorum obtinebat, deicitur. Necdum autem, postquam liberos egessit, erat deiectus. Denique omnes dubitationes tollit vox *βίῃ* (v. 490); nam vis vocis *βία* adversa est voci *δόλος*[2]).

Quam dura sunt illa duo participia *δολωθείς — νικηθείς*; quam incommode tota narratio procedit. Quis igitur hunc versum composuit? Unde hausit? Num Dion Prusensis hunc versum legerit, dubium est; ceterum huius testimonii auctoritas nihil valet; praeterea eius verba (XIV 21)[3]) ad v. 718 spectare vero propius est; voces autem *συμφέροντα ἐκείνῳ* ad Op. vv. 169 sqq. pertinere contendere ausim. Illud Platonis quoque (Res publ. 377 e) levis momenti est; nam sub verbis *καὶ πάθη ὑπὸ τοῦ υἱέος* iterum illud magnum opus, i. e. titanomachiam, intellexisse potest. Quin etiam rem ita se habere verisimile est, cum paulo post philosophus aperte iuventutem ab his deorum proeliis prohibendam esse dicat (378). Atque voce *παράπαν* eum antea quoque de bellis cogitavisse indicatur. Omnino quaestio ex-

---

1) Cf. Heyneum, Hes. Th. a F. A. Wolfio ed., p. 152; Robertium, Mél. Nic., p. 477, 484.

2) Cf. v. 496: *τέχνῃσι βίηφί τε* (v. p. 46).

3) II p. 231 A; II p. 290 de Budé.

sistit, quis, quo modo Saturnum dolo adduxerit, ut liberos redderet.

Tradit Apollodorus (I 2, 1) Iovem adultum adiutricem sibi adscivisse Metidem Saturnum vomere cogentem. In ea theogonia, quae Musaei nomine inscripta est, Iuppiter Themide auctore Amaltheae nymphae[1]) traditur, quae puerulum caprae uberibus admovet[2]). Erat autem haec capella Solis filia, adeo terribili specie, ut Titanes adspectum eius reformidarent, quam ob rem horum precibus commota Terra eam in antrum Cretae abdebat. Deinde Iuppiter, cum adolevisset bellumque Titanibus faceret, Themidis monitu se caprae pelle velat; erat enim haec aegis impenetrabilis ac terrifica; quo corio Iuppiter pro scuto usus taetro aspectu Titanes vincit. At num quo modo cuius rogatu liberi a Saturno devorati rursusque evomiti sint, nullo loco commemoratur.

Tantum de Musaeo. In theogonia Orphica (frg. 58 K., frg. 137 K. = Procl. in Plat. Crat. 396b, frg. 148 K., frg. 154 K. = Porphyr. De antro nymphar. 16) Saturnus Noctis suasu a Iove sopitur, vincitur, velut Uranus exsecatur[3]). Hic igitur de Saturno idem iterum narratur atque antea de Urano; Saturnus a filio eodem incommodo afficitur, quo priore aetate patrem affecit. Consulto eodem, quod peccavit, punitur. Nox autem consilii auctor est: Saturnus postquam ebrius factus est, dormiens catenis vincitur, superatur. Eiusdem fabulae repetitione sollertia ingenioque carenti et ad usum certum accomodata, quae illis verbis, quibus Uranus Titanes exsecratur (v. 210):

τοῖο δ' ἔπειτα τίσιν μετόπισθεν ἔσεσθαι

non excusatur, — haec enim futurae ultionis minatio pertinet

---

[1]) Eadem narrantur ap. schol. Il. A et B ad *O* 229; sed hic caprae ipsi nomen est Amalthea: *ἔδωκε τρέφειν Ἀμαλθείᾳ, ἣ ἦν αἴξ*; verbis *αὐξηθεὶς δὲ ὁ Ζεὺς μετέστησε τῆς βασιλείας τὸν πατέρα* difficultas non tollitur. Idem profert Apollod. I 1, 7: *αὗται* (h. s. Adrastea et Ide) *τὸν παῖδα ἔτρεφον τῷ τῆς Ἀμαλθείας γάλακτι·* Cf. Prellerum, Griechische Mythologie I[4], Berol. 1894, p. 35 adn. 4. Eadem fabulae forma refertur in Hygini Poet. astronom. II 13.

[2]) Frg. 7 p. 225 Ki. (Epic. Gr. frg. I); frg. 3 p. 9 Kern; frg. 8 p. 23 Diels (Die Fragmente der Vorsokratiker I[5]).

[3]) Cf. p. 110 n. 1.

ad nullam aliam rem nisi titanomachiam — posterioris aetatis scriptores saepe usi sunt; quam ob rem prior fabulae narrandae ratio interdum repressa est. Tum audimus ex frg. 80K. Saturnum omnes, quos devoraverat, liberos rursus evomuisse, si quidem haec fragmenti pars ex theogonia Orphica sumpta est. At a quo, quo modo coactus Saturnus liberos egerat, ne hic quidem legimus.

Omnes igitur poetae scriptoresque varia ratione fabulam narrant: variis formis fabula tradita fuit neque satis constat, qua Hesiodus usus sit; neque enim ab Hesiodo huius rei mentio facta est secundum illam narrandi rationem poetae Ascraei propriam: omnes fabulam cognoverant; idcirco singula explanare ei non opus erat; simili enim modo poeta Titanes Urano exsecto liberos esse tacet vel Saturnum imperium inire (nam in v. 462 summam imperii obtinet; ante v. 453 igitur lacunam esse nemo contendere poterit nisi ii, qui Hesiodi rationem narrandi non intellegant) vel quo modo Saturnus, ut liberos emittat, moveatur.

Quisquis Saturnum defraudavit, Iove indignum hoc facinus fuisse veteres non putabant[1]); Saturnus enim antea idem scelus concepit (vv. 174sq.). Sed de deorum et vita et operibus multo post demum (ex Xenophanis temporibus) philosophi et scriptores iudicium censuramque faciunt.

Quamquam fatendum est nos Iovem patrem frustratum esse infitiari non posse, tamen Terram eum ad exspuendum induxisse propius est vero, praesertim cum quanta sit per totam Theogoniam Terrae auctoritas[2]) sciamus. At minime interrogare licet, cur Terra, cum Saturnum cogere valeat, ut liberos reddat, tam diu maneat, donec hoc facit[3]); nam hac in re iterum nobis cavendum est, ne nostras sententias veteribus subiciamus. Hesiodi aetate sic non interrogabant;

---

[1]) Falsa mihi videntur esse, quae Schoemannus, Hes. Th. ed., p. 225 et Wilamowitzius, Kl. Schr. V 2, p. 161 exposuerunt. Plane reicio sententias Friederichsii, Die Bedeutung der Titanomachie für die Theogonie Hesiods, Programm des Gymnasiums zu Rostock 1907.

[2]) Cf. vv. 161—166, 463, 470, 479, 494, 626, 639 (? v. Scheerium, l. l. p. 626), 884, 891; v. Robertium, Mél. Nic., p. 485; contradixit Dieterichius, Mutter Erde[3], Lips. 1925, p. 36.

[3]) Cf. Robertium, Mél. Nic., p. 484.

nam hae erant deorum fabulae usitatae perceptaeque, quas iudicare veteribus in mentem non veniebat; Iovem esse ortum necesse est: tum demum Terra ad rem accedere potest; in Urani historia etiam multo ante *ἅρπην* conficere poterat; sed tum quoque ad laborem capessendum cunctatur.

Quibus ascitis ex versibus 494 et 496, quorum alteruter delendus est, v. 496 suspectiorem habeam. An credis Terram Saturnum fallere non potuisse? Minime gentium! Terram enim consilia non solum subicientem ut dicit Dietzeus[1]) sed etiam ad effectum adducentem invenimus: *ἅρπην* fabricatur, Iovem educat. Nihil igitur obstare arbitror, quominus apud Hesiodum Terra Saturnum modo nescioquo, liberos egerere, cogat. Quamquam nullo alio loco haec fabulae forma invenitur. Neque autem versui 496 lux afferri posse videtur. Sed quid? Si tamen hic versus ab aliquo Orphei assecla insertus est? Audimus enim ex Porphyrio (De antro nymphar. 16 p. 67 Nauck[2]; frg. 154 K.):

παρὰ δὲ τῷ Ὀρφεῖ ὁ Κρόνος μέλιτι ὑπὸ Διὸς ἐνεδρεύεται· πλησθεὶς γὰρ μέλιτος μεθύει καὶ σκοτοῦται ὡς ὑπὸ οἴνου καὶ ὑπνοῖ . . . φησὶ γὰρ παρ' Ὀρφεῖ ἡ Νὺξ τῷ Διὶ ὑποτιθεμένη τὸν διὰ μέλιτος δόλον·

εὖτ' ἂν δή μιν ἴδηαι ὑπὸ δρυσὶν ὑψικόμοισιν
ἔργοισιν μεθύοντα μελισσάων ἐριβόμβων,
δῆσον

αὐτόν. ὃ καὶ πάσχει ὁ Κρόνος καὶ δεθεὶς ἐκτέμνεται ὡς ὁ Οὐρανός

in theogonia Orphica Saturnum et dolo et vi superatum esse; nam *τέχνῃ* consopitur, inebriatur, *βίᾳ* eviratur. Sic compositor Orphicus versum intexuit vel in margine scripsit sive v. 657 commotus, i. e. ut discrepantiam ut ei videbatur inter duas fabulae formas in v. 496 et 657 exhibitas dissolveret, sive quia Hesiodi Terram pro Iove substituentis sententiam corrigere volebat. Fugit autem eum Orpheum illo loco liberorum reditum omnino non exaravisse (cf. p. 111).

Sed cum his ascitis v. 496 postea infultum esse extra omnem dubitationem in promptu sit, iam intellegimus, quam

[1]) l. l. p. 531.

ineptae sint A. Meyeri opiniones: nullius momenti est v. 496 ad v. 657 explicandum; atque cave putes poetam vocibus *ἀλκτὴρ ἀθανάτοισιν γένεο* sollertiam Iovis significare voluisse.

In sequenti parte Wilamowitzius[1]) versuum dimidia commutat (vv. 658 sq.):

ἄψορρον δ' ἐξαῦτις ὑπὸ ζόφου ἠερόεντος
σῇσι δ' ἐπιφροσύνῃσιν ἀμειλίκτων ὑπὸ δεσμῶν

cui assentiri nequeo propterea quod versibus mutatis verba non iam respondent locique deletur splendor atque cultus: Cottus initio suae orationis Iovis curam laudat; nam proxima Iovis verba eandem sententiam exprimunt; respondent igitur inter se illae quae significant „curam“ vel „consilium“ voces (*βουλή—ἐπιφροσύνη*) coniunctae cum verbis *ὑπὸ ζόφου ἠερόεντος* (vv. 653—658) atque adverbia *ἄψ* vel *ἄψορρον* coniuncta cum voce quae est *δεσμός* (*δυσηλεγέος ὑπὸ δεσμοῦ — ἀμειλίκτων ὑπὸ δεσμῶν*, vv. 652—659):

a) *ἐς φάος* **ἂψ** *ἀφίκεσθε δυσηλεγέος* **ὑπὸ δεσμοῦ**
b) *ἡμετέρας διὰ* **βουλὰς ὑπὸ ζόφου ἠερόεντος**
b) *σῇσι δ'* **ἐπιφροσύνῃσιν ὑπὸ ζόφου ἠερόεντος**
a) **ἄψορρον** *δ' ἐξαῦτις ἀμειλίκτων* **ὑπὸ δεσμῶν**

De verbo quod est *ῥύεσθαι* Lisco copiosius, quam opus erat, locutus est; quamquam frustra operam diligentiamque in hac re posuit; neque enim vis verbi *ῥύεσθαι* est sola „defendendi“, „servandi“, sed plane „adiuvandi“, „tuendi“, „protegendi“[2]); quod ut confirmem, hos locos affero: Hom. *K* 259, Aesch. Sept. v. 285, Herodian. VI 7, 5, quibus locis verbum *ῥύεσθαι*, si „defendere“ tantum diceret, adhiberi posse prorsum nego, cum nihil exstet, quod defendi possit. Eundem verbi sensum profert Hom. *ξ* 107, qui versus verbo *φυλάττειν* adposito, ita ut *ἓν διὰ δυοῖν* quod dicimus efficiatur, rem plane aperit propterea quod nemo custodiri potest, nisi ipse adest. Astruitur autem haec sententia eo quod saepe nobis haec verba arte coniuncta occurrunt:

---

[1]) Cf. Herm., p. 371; Alyum, Hes. Th. ed., adn. ad v. 658.

[2]) Lisco, l. l. p. 74 secum pugnat, quod in verbo *ῥύεσθαι* inesse vim „adiuvandi“ primum negat, deinde „periclitanti salutem afferendi“ concedit.

cf. Hom. ο 35; Soph. O. C. v. 286. Itaque ne eo quidem loco, in quem incumbimus, dei abesse possunt, sed una cum Centimanis proelium redintegrant; quod aperte elucet ex versibus sequentibus (vv. 664—670), quos Lisco scite praeterit; nam hic vir litteratus deos se ex pugna recipere atque pro eis Centimanos solos et certare et vincere opinatur, qua in coniectura, cum Iovis quidem pugnam et victoriam poeta saepius antea monstraverit, inconstantiam narrandi quis non offendit?

Porro orationes ex nullo alio carmine haustas esse docent versus 648, 650, 663, in quibus de pugnis contra Titanes quidem commissis sermo est. Nec vero dividere has orationes possumus; nam eas arte inter se cohaerere ex responsionibus apparet. Cur poeta has luculentas orationes composuit? Carminum relatum orationibus intextis longius produci dicat quis, latiores orationes inserere in poetarum epicorum vel rhapsodorum quasi supellectilis usu versari alius: nam carmina his orationibus aucta amplificata actuosiora fuisse. Accedit autem hoc: poeta non sine iusta causa hanc narrationem tam copiosam et uberem explicavit: Hesiodo a primo novos socios vincentes facere in animo erat; quam ob rem lectorum animum iam antea ad hunc exitum convertere volebat; nulla enim meditatione habita Centimanorum victoria auditoribus repentior fuisset atque inopinatior.

Breviter omnia complector: decem per annos continuos aequo Marte pugnatum est (vv. 637—646), donec tandem Iuppiter Centimanos e carcere, quo inclusi olim ab Urano fuerant, emisit (vv. 624—652—659); dei enim longo bello defessi sunt (v. 646), qua re commotus Iuppiter Centimanos socios asciscit (v. 650); libenter hi deos adiuvant non immemores eorum beneficii (vv. 624—652—661). En habemus genuinum versuum 617—663 conexum elegantemque totius narrationis progressum.

Sequitur pugna; adiutores, quo verbo potius utor quam sociis, deis succurrunt; nunc hi describendi erant et describuntur verbose et plene; nam in omnibus huius generis fabulis adiutorum species insolita et robur supra modum ingens eximie depingitur[1]). Ideo haudquaquam uncinis includendi

[1]) S. Thompson (F. F. Communications LXXIV 1928, p. 77 et F. F. Communications CXVI 1935, p. 103) dicit: „supernatural helpers“;

sunt utpote e versibus 150sqq. repetiti[1]) versus 671—673 alioqui non spurii; nam eiusmodi versus, quibus Centimanorum facies semper eadem describitur, antiquitus usitatos et a scriptoribus quasi formulas auribus perceptos et in libris, quotiens de Centimanis narrabatur, adhibitos esse in aperto est: Homerus saepe eos versus, quibus quasi formulis utitur, repetere solet; atque quae de Homero concedimus ea in Hesiodum quoque cadere aequum est.

His omnibus cognitis eo melius Wilamowitzii sententiam missam facere possumus; nam hic vir doctissimus omnino vv. 669—675 sine ullo codicum respectu secludit propterea quod pugnam a deis solis cum Titanibus commissam a poeta descriptam mavult. An eos sequendos putas, qui sine idonea causa hanc fabulam sollertissimam prorsum corrumpunt? Atque quid sibi vult versus 664? Cur laudant dei Cotti verba? Cur omnino illae duae orationes habentur, priusquam pugna incipitur? Immo vero omnia congruunt et concordant: duabus orationibus habitis sequitur eius pugnae, de qua his orationibus Iuppiter et Cottus egerunt, descriptio, i. e. pugnae inter deos Centimanosque ac Titanes commissae. Hic ergo habemus deos una cum Centimanis, illic stat Titanum acies. Nam quo alio modo versum 636 intellegamus? Sane incipitur pugna decimo anno. Poeta enim exemplo clarissimo utitur[2]): in Homeri Iliade proelium decimo anno denuo ineunt; Ulixes,

---

cf. A. Aarne, F. F. Communications III 1910, nr. 500sqq.; Grimmium, Anmerkungen zu den Kinder- und Hausmärchen III (ed. Bolteus et G. Polívka), Lips. 1918, p. 45, 84; C. Meuli, Odyssee und Argonautika, Berol. 1921, p. 4sq., 4 adn. 1, qui exponit: „seine Gefährten lösen die schweren Aufgaben kraft ihrer wunderbaren Eigenschaften"; S. Thompson, F. F. Communications LXXIV 1928, nr. 500sqq.; eundem, F. F. Communications CXVI 1935, nr. N 810sqq.; adiutorum triada invenis porro apud A. Aarne, l. l. nr. 501, 515; Grimmium, Anmerkungen zu den Kinder- und Hausmärchen I, Lips. 1913, p. 109; II, Lips. 1915, p. 95 n. 1; S. Thompson, F. F. Communications LXXIV 1928, nr. 501.

[1]) Cf. F. A. Wolfium, Hes. Th. ed., p. 120. Sed recte iudicavit iam Goettlingius hic non praetermittendam fuisse Centimanorum mentionem.

[2]) Affero ex librorum ad hanc rem spectantium silva e. g. Roscherum, Abhandl. d. Sächs. Gesellsch. d. Wissensch. XXI 4 1903, p. 15sqq. Apud Apollodorum quoque pugna decimo anno incipitur.

postquam decem per annos erravit, revertitur. Haec autem est huius rei causa: longum erat, bellum per hos decem annos gestum describere. Praeterea rhapsodiarum relatus longior atque auditoribus longinquior et molestior erat. Nihil enim novem per annos tantisper quoad proelium decretum est evenerat, quod ullius erat momenti; itaque de toto novem annorum spatio nihil sciebat poeta. Decimo demum anno recentibus viribus pugna redintegrabatur: nunc narratio erat actuosa et ad alliciendos delectandosque et legentium et audientium animos apta.

Centimani strenuam operam polliciti sunt. Statim certamen vehementius et maioribus animis instauratur. Hesiodi proprium est, praeter pugnantium facta etiam res gestas et auribus et oculis perceptas perhibere[1]); postea in Typhonis pugna res itidem se habet.

Auditu accipiuntur haec:

pontus insonat (v. 678), terra suspirat (vv. 679, 692), caelum congemit (v. 679), Olympus tremit (v. 680), tumultus sentitur in Tartaro (v. 681), clamor pugnantium ascendit ad caelum (v. 685);

oculis autem animoque:

terra contremescit (v. 695), Oceanus concutitur (v. 695), mare aestuat (v. 696), flamma attingit aethera (v. 698), Titanes circumdat ardor (v. 696) omnes, qui oculos advertunt, occaecans (v. 698), venti movent vel circumferunt pulverem (v. 706);

in Typhonis pugna:

audiuntur haec:

terra ingemiscit (v. 842), Oceanus fragorem edit (v. 841), ne mare quidem subsistit (v. 841), Olympus sub Iovis pedibus tremit (v. 841), expavescit Pluto a pugnantium fremitu (v. 852);

visu obimus haec:

fervent tellus mare caelum (v. 847), omnia quatiuntur (v. 849), terra ardet, tabescit (vv. 861—862).

[1]) Cf. v. 701: εἴσατο δ' ἄντα
ὀφθαλμοῖσι ἰδεῖν ἠδ' οὔασι ὄσσαν ἀκοῦσαι

His perpensis simul profligatae sunt Schwennii sententiae (Th. d. Hes., p. 36, 40, 44); qui vir doctus removet vv. 681—686 et vv. 705—710[1]). Genus autem scribendi narratione vivida effectum pugnae tenore semper eodem interrupto ab antecedentium versuum abhorrere in propatulo est[2]).

Iuppiter[3]) adhuc suam vim cohibuit, ut illam omnem exsereret in hac postrema bellum conficiente pugna. Non iam nunc se continet, sed statim eius pectus spiritu impletur et vires suas ostendere parat; nam de suo quidem imperio dimicat; quam ob rem minime fieri potest, ut Iuppiter in hac pugna desit. Neque enim, si deesset, haec esset pugna deorum, sed Centimanorum et Titanum; tota res in eo vertitur, num Iuppiter victor discedat. Pugna bis describitur propterea quod Iove ad pugnam sese expediente non solum proelium redintegratur, sed etiam pugnae loca dilatantur. Titanes in v. 697 *χθόνιοι* appellantur, cuius vocis vim iam A. Meyerus satis perscrutatus est. Sic enim Titanes appellantur propterea quod sunt Terrae filii. Porro antea ab Urano in specum subterraneum iacti erant; ex hac quoque causa *χθόνιοι* appellari poterant. At ne ullus haereat scrupulus, denique Hesiodum ut solet hoc nomen appellativum anticipavisse putaveris; nam postea Centimani iterum ad inferos deiciuntur et sub terra habitant. Insuper viri doctissimi Guietius, F. A. Wolfius, Schoemannus locos permultos attulerunt, quibus vocis „*χθόνιος*" notionem nullum aliud

---

[1]) Retinet autem vv. 643—680 et vv. 687—704. Quis est, quem non fugiat Schwennium secum pugnare atque prorsum decedere a sententia triennio ante aperta? Contendit enim (Natalicium. Johannes Geffcken zum 70. Geburtstag, Heidelb. 1931 [= Natal.], p. 142) titanomachiam carmen sui iuris fuisse.

[2]) A voce *ἰωή*, non inter se pendent genetivi *ποδῶν, ἀσπέτου ἰωχμοῖο, βολάων κρατεράων*. Hesiodus quotiens complura vocabula ab uno verbo vel nomine pendentia enumerat, inter priora coniunctionem omittit (cf. v. 454). Quod Schwennius Iovem ante v. 707 *βροντῇ* et *ἀστεροπῇ* usum non esse ementitur, facile eum Hesiodi ipsius testimonio (v. 691) refutare possumus.

[3]) Cf. Goettlingium, Hes. carm. ed.², p. 74; A. Meyerum, l. l. p. 50; Lisconem, l. l. p. 74; P. Mazon, Hes. carm. ed., p. 14; Wilamowitzium, Herm., p. 370; T. A. Sinclair, Gnomon V 1929, p. 623; Iacobyum, Hes. Th. ed., p. 21, 22, 176; Wilamowitzium, Gl. d. Hell. I, p. 342 adn. 1.

significare nisi „Terrae filios" apte probatur. Titanes a Saturno liberati sunt: nunc igitur, i. e. in v. 697, non iam sub terra versantur; ceterum offendere non possumus, etiamsi Titanes profecto sub terra habitantes proeliarentur. Nam simili modo Saturnus, quamquam ἐν Γαίης κευθμῶνι versatur, tamen patrem exsecat vel Terra ad liberos, qui reconditi sint, verba facit vel Iuppiter Themin et Mnemosynen in matrimonium ducit, quamquam illae deae degunt in Tartaro.

Terra mare Oceanus ardent et aestuant, flamma ascendit usque ad aethera; totum chaos aestu impletur. Hesiodus hoc loco sub nominibus Χάει Οὐρανῷ Γαίῃ non personas intellegit, sed his vocibus mundum universum significat. Nam Graeci, quamquam res quasdam uno et eodem vocabulo appellabant, tamen diversas significabant[1]). Qui eundem poetam principia rerum modo deos modo res[2]) intellexisse negat, non solum totam Theogoniam, sed etiam religiones, quas in ea invenimus, non intellegit.

Iovis igitur pugnam removere non possumus; nec vero Centimani supervacanei sunt. Hi enim in fabulis de deorum et Titanum pugna magnam habebant vim; ubique deorum socii sunt; consulto quidem Hesiodus identidem eo quod initio (v. 147) Centimanos intexuit vel eos cibatos fecit vel illas duas orationes inseruit Centimanos socios futuros esse monstravit. Denique titanomachia est ex eis fabulis, in quibus dei quidam vel heroes vel homines immani robore praediti alios in periculis adiuvant. Sin autem Iovis proelium seiungeremus, etiam illum fabulae sensum turbaremus.

Satis expositum mihi videtur Διὸς ἀριστείαν quam vocamus, i. e. vv. 687 sqq., ex Theogonia eici non posse. Accedit autem hoc: Iuppiter vincit fulmina iactans; ad suam victoriam fulgure fragore fulmine utitur, quae tela a Cyclopibus accepit. Hesiodum autem Theogoniam componentem, cum illos Cyclopes atque Centimanos deesse animadverteret, eos ad numerum Urani

1) Perperam de hac re iudicat Zieglerus, l. l. p. 1493 n.

2) Eodem modo Hesiodus in v. 176 non Noctem deam sed caliginem intellegit; itaque νύκτ' scribendum esse arbitror. An putas Uranum Noctem spectatricem secum duxisse? Aliter existimat D. I. de Lennep, Hes. Th. ed., p. 208.

liberorum adiecisse supra p. 28 demonstravi. Sed etiam alio loco poeta de Cyclopibus verba facit: vv. 501 sqq. Quid hoc sibi vult? Obscurum nobis videtur propterea quod Hesiodus antea Cyclopum nullam fecit mentionem, nam vv. 139—146 postea demum esse infultos scimus. Cyclopibus autem Theogoniae initio nondum commemoratis nemo vv. 501 sqq. intellegere poterat. Sed quid? Si Hesiodus hanc quoque partem postea demum infarsit? Etiam quibus causis poeta adductus sit perspicere possumus: Hesiodus Cyclopes esse solutos nondum narraverat; at Centimanos a Iove liberari eximie depingit; itaque de Cyclopibus quoque eadem dicere vult. Maxime autem Iuppiter postea Cyclopum telis utitur; quam ob rem poeta illos gratiam Iovi referentes datis tonitru fulmine fulgure facit. Iam hac ex re elucet vv. 501—506 arte cum titanomachia cohaerere. Iuppiter quidem Cyclopes vinculis levat et non Saturnus. Iovem igitur neque alium etiam Centimanorum claustra refregisse verisimile est[1]). Si quidem Saturnus Cyclopes ex tenebris eripuisset, poeta iam in Theogoniae exordio de hac re verba facere poterat. Iovem autem Cyclopibus vincula dempsisse nullo alio loco exponere ei licebat; nam huic narrationi locus aliquis poetae eligendus erat, in quo de Iove sermo erat. Vv. 383 sqq. minime apti erant; necdum enim hoc loco Iuppiter natus est. Praeterea hic Styx, non Iuppiter summi momenti est. At vv. 457 sqq., ubi Iovis ortus enarratur, ad fabulam illam explicandam accomodatissimi erant. Post hos ergo versus Hesiodus Iovem Cyclopum repagula laxare adicere poterat.

Alia quoque via hanc Theogoniae partem postea demum a poeta Ascraeo esse infartam demonstrare possumus. In v. 502 eodem modo poeta nomen Urani non affert atque in v. 617; in utroque loco poeta nomine *πατήρ* utitur. Ex hac quoque re iterum poetam in hoc *πατέρι* nullum alium nisi Uranum intellexisse perspicuum est. Duo igitur hi loci inter se cohaerent; ad idem Urani facinus pertinent; locum quendam antecedentem respiciunt; tota autem Theogonia nullus alius locus invenitur nisi vv. 139 sqq., 147 sqq., 154 sqq. Etiam

---

[1]) De controversia inter viros doctos orta v. p. 37.

vocem δῆσεν hic iterum legimus, de qua iam supra p. 28 n. 1 dixi. Omnibus his argumentis allatis vv. 139 sqq., 147 sqq., 501 sqq., 617 sqq. arte inter se contextos atque ab eodem poeta, i. e. ab Hesiodo, eodem tempore esse compositos sine dubio est in promptu[1]). Sic haec res est multo simplicior et apertior quam apud A. Meyerum, ubi ad sententiam eius haud infacetam demonstrandam complures interpolatores praematura morte abripi coacti sunt.

Nec vero vv. 501 sqq. possunt divelli ab antecedentibus, quia in v. 501 et nomen deest et particula δέ respondet particulae μέν v. 498. Nimirum ne v. 497 quidem seiungi potest. Hesiodus enim Saturni filios a patre devoratos esse exposuerat. Postea autem Saturnus liberos evomit. Quo modo poeta hic illam Cyclopum fabulam addere poterat? Sane nomen Iovis erat appellandum. Saturnus igitur non simul omnes liberos ex ventre suo egerere poterat, sed singuli viritim, minime Iuppiter solus ad lucem edendus erat. Qua de causa Hesiodus v. 497 composuit et ex hoc versu novam narrationem Cyclopum causa infartam incipit. Iuppiter enim erat princeps; de Iove in sequenti parte erat loquendum. Ceteros autem liberos esse evomitos poeta silentio praeterit; nam ex se intellegebatur. Ideo vocem πρῶτον (v. 497) vox quam exspectamus ἔπειτα non sequitur. At textum mutare non solum supervacaneum est, sed etiam illi scribendi rationi Hesiodi propriae, quae per totam Theogoniam identidem nobis occurrit, repugnat[2]). Nomen

---

[1]) Pohlenzio, qui (Neue Jahrb., p. 564 n. 2) vv. 501—506 spurios putat, assentiri nequeo. Cf. A. Meyerum, l. l. p. 33; Schwennium, Th. d. Hes., p. 130.

[2]) Cf. Goedelium, De poetarum Graecorum epicorum lyricorum tragicorum apud mythographos memoria, diss. Hal. 1909, p. 6; Robertium, Herm. XLIX 1914, p. 33* adn. 3, quem praeiit Emperius (op. philolog., Gott. 1847, p. 304). Quamquam tradito καταπίνων difficultatem inesse haud nego, tamen textum utique corrigendum esse non sentio. Ceterum Emperii vel Wieseleri (l. l. p. 5) coniecturae probabiles mihi videntur. De Fickii coniectura (Beiträge zur Kunde der indogermanischen Sprachen XII 1887, p. 31) cf. Schulzeum, Quaestiones epicae, Guetersl. 1892, p. 360 n. 3. Sed quae Fickius de aoristi participio disputavit (Beiträge zur Kunde der indogermanischen Sprachen Suppl. 1883, p. 329 adn.), Schulzeum fugisse videntur.

autem Cyclopum non esse allatum per se patet e celeritate narrandi[1]), cum hi versus multo post demum intexti sint. Insuper ex v. 504 poetam nullos alios nisi Cyclopes[2]) intellexisse perspicuum est. De quibusnam aliis cogitas? Titanes enim iam multo ante soluti sunt; Centimani autem paulo post (vv. 617 sqq.) liberantur.

Vv. 501 sqq. arte cum titanomachia cohaerere vidimus. Hesiodus hos versus composuit propterea quod Iovem ante titanomachiam *βροντήν, κεραυνόν, στεροπήν*, quae olim sub terra latuerant, a Cyclopibus accipientem facere volebat. His telis Iovi pugnandum erat. Profecto Iuppiter in vv. 690 sqq., v. 707 verbis ipsis cum vv. 504—505 congruentibus isdem telis utitur.

Denique Cottus Iovis potestatem atque victoriam indicat, deinde Terra in v. 628 deos cum Centimanis, non Centimanos solos victoriam reportaturos esse vaticinatur. Nonne verba

ὅ μιν τάχ' ἔμελλε βίῃ καὶ χερσὶ δαμάσσας
τιμῆς ἐξελάειν, ὃ δ' ἐν ἀθανάτοισι ἀνάξειν

(vv. 490—491) Iovis imperium maiestatemque ostentant? Porro Terra et Uranus (vv. 463 sqq.) Iovem victurum esse praedicunt. In v. 403 Iovem regnum adepturum esse praenuntiatur. In v. 392 Iuppiter edictum proponit; iam in prooemio (v. 73) Iovis victoria Saturnique clades monstratur. Ubique igitur Iovis proelium et victoria significatur. Omnia diligenter circumspecta atque instructa sunt. Sic fieri non potest, ut Centimani soli contra Titanes pugnent. Omnibus locis Iuppiter quidem solus ad pugnam provocatur. Idcirco postea in titanomachia nomina omnino non proferuntur praeter Iovis nomen; quamquam tota pugna 39 tantum versibus scripta est, tamen poeta de Iovis certamine 25 vv. implevit. His expositis quis est, qui *Διὸς ἀριστείαν* subditiciam existimet?

Pugna finitur. Tunc denuo Centimani rem gerunt. Eorum est Titanes vincire et ad inferos deicere. Neque enim hoc Iovem decet.

---

[1]) Eadem ex causa transitus ille praeceps et abruptus gignitur (v. 501).

[2]) Cf. F. A. Wolfium, Hes. Th. ed., p. 109; Goettlingium, Hes. carm. ed.[3], p. 61.

Restat, ut paululum accuratius ubi a quo cur pugnatum sit inquiramus. A. Meyerus[1]) enim audacter locum pugnae non indicatum esse contendit. Immo vero plane Hesiodus Titanes ex Othrye, Saturni filios ex Olympo pugnare narrat (vv. 631—632—689). Offendat autem quis in his versibus propterea quod in v. 128 vel v. 373 deos in caelo habitare legimus. Sed apud Hesiodum caelum et Olympum inter se non differre statuendum est; poeta cognitiones caeli et Olympi sibi insitas non discernit; quod patescit ex vv. 68—71, in quibus Hesiodus Musas facit ineuntes in Olympum ad Iovem patrem, qui in caelo regnat (v. 71), vel ex v. 689, ubi Iuppiter fulmina iactat ex caelo et (ἄμυδις) Olympo, vel ex Op. v. 111, ubi Titanes Olympum habitant, cum Saturnus ipse in caelo imperet. Quem versum non ab Hesiodo profectum esse Goettlingius putat ob eam causam, quia nusquam Saturnus in diis Olympicis habeatur[2]). Neque autem hoc versu remoto quicquam proficimus; restat enim v. 110, quem furca expellere non possumus. Neque ullos alios poeta τοὺς ἀθανάτους intellexisse potest nisi Saturnum ac Titanes; nam hi aetatem auream et argenteam condiderunt. Nunc autem in v. 110 quidem voces Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντας legimus; v. 111 igitur eiecto nihil mutatur: Saturnus pariter in diis Olympicis habetur[3]) proinde ac si v. 111 Hesiodo adscribamus[4]). Errat autem Ed. Meyerus[5]), cum Hesiodum ne aetatem et auream et argenteam a Saturno esse conditam diceret vitavisse putat. Nam Saturnum auream aetatem perfecisse poeta in vv. 110—111 plane asserit; at argenteam etiam a Saturno constructam fuisse Hesiodus ut solet non rursus commemorat; nam ex se intellegitur; perinde poetam Saturnum Iove egesto nimirum etiam alios liberos

---

[1]) l. l. p. 38.

[2]) Cf. Hes. carm. ed.[3], p. 194.

[3]) Cf. Aesch. Prom. v. 149, vv. 957 sqq., ex quibus patescit Aeschylum quoque Saturnum et Titanes olim habitavisse in Olympo putare, ut omittam poetas aetate posteriores Horat. Carm. II 12 v. 8; Ap. Rh. II v. 1232.

[4]) Cf. Hartmannum, De quinque aetatibus Hesiodeis, diss. Frib. 1915, p. 34.

[5]) Cf. Kl. Schr. II, p. 38.

evomuisse silentio praeterisse reminiscimur. Quam vatis Ascraei consuetudinem per totam Theogoniam identidem invenimus, ubi quid ex se intellegi potest vel apud omnes Graecos pervagatum erat. Deinde Hesiodus tertiam describit aetatem. Tum demum hanc esse a Iove constitutam autumat; unde iterum apparet Saturnum, non Iovem argenteam condidisse aetatem. Apud Hesiodum igitur caelum et Olympus quod attinet ad deorum sedem inter se non differunt[1]).

Loco pugnae constituto quaestio exsistit, a quo pugnatum sit. Legimus in v. 630:

> (*δηρὸν γὰρ μάρναντο . . .*)
> *Τιτῆνές τε θεοὶ καὶ ὅσοι Κρόνου ἐξεγένοντο.*

Habemus ergo hic Saturni liberos, illic Titanes. Neque autem nomina proferuntur ac iure id quidem; nullius enim erant momenti. Nomen Iovis solum est appellatum propterea quod in Iovis quidem victoria poeta omnem curam consumpsit; tota res e Iovis victoria pendet. Iovem enim ut victorem atque potentissimum discedentem faceret, Hesiodus animo proposuerat. Semper autem respiciendum est pugnantium nomina legentibus vel potius audientibus haud ignota fuisse; longum erat, fabulam denuo narrare; hoc quoque loco res ita se habet,

---

[1]) Hanc Hesiodi proprietatem, qui omnino loca ad mythologiam spectantia non diligenter describit, aliis quoque locis invenimus: in v. 158 Uranus liberos, qui ei invisi sunt, abdit *γαίης ἐν κευθμῶνι*; postea autem hi versantur *ὑπὸ χθονὸς εὐρυοδείης* (v. 620). Poeta utroque loco unum atque idem intellexit neque sensit illam ut nobis videtur discrepantiam perparvam: obscuram enim horum locorum scientiam Hesiodus habebat neque diu in hac re aestuavit. Locum autem, in quem Uranus filios abdit, nullum alium fuisse nisi Tartarum quis est qui neget? Quamquam enim Hesiodus nusquam in Tartarum quidem Uranum recondidisse filios asseverat, tamen mirum in modum verba *ἔσχατα* et *πείρατα*, quae postea in Tartari descriptione (vv. 731, 738) inveniuntur, versum 622 in memoriam redigunt:

> *ἥατ' ἐπ' ἐσχατιῇ, μεγάλης ἐν πείρασι γαίης*

Praeterea poeta initio (v. 119) Tartarum *μυχῷ χθονός* situm esse exposuit. Inferius autem in voce *ὕπερθεν* (v. 727) eadem exstat dissensio; neque scio, an Hesiodus imam Terrae partem cum summa cohaerere Tartari parte putaverit.

praesertim cum titanomachia multis antecedentibus locis ut vidimus diligenter sit meditata et praeparata. Nam per totum carmen poeta auditorum animum ad titanomachiam convertit: pugnae ordinem et exitum cognovimus, priusquam certamen incipitur: longinquum erat, nomina dimicantium singula enumerare. Certant igitur Saturni liberi contra Titanes. Titanes autem illi duodecim in vv. 133 sqq. nominati Urani liberi intellegendi sunt neque alii. Qui haec ita esse infitiatur atque hoc unum opponit Themin et Mnemosynen a Titanum parte stetisse non posse propterea quod paulo post Iovi nubant, non solum ratione cogitandi veteribus ignota utitur, sed etiam eum fugit Hesiodi et sententias inter se dissidere et narrandi consuetudinem esse inconditam et plane rudem. Nimirum poeta Titanes, qui cum Saturno pugnant, duodecim Urani liberos, quos supra attulit, intellegit; verum praeter illos duodecim nullos alios Titanes cognovit; neque enim aliis Urani et Terrae filiis nomen *Τιτῆνες* dat ut supra p. 29 ostendi. Posterioribus demum temporibus scriptores maiorem Titanum numerum referunt. Ei autem, quos magnas *φάλαγγας* (v. 676, cf. v. 667) conformasse Hesiodus dicit, dei minorum gentium putandi sunt, qui velut *λαοί* propugnatores sequuntur.

Sed quid? Cur iterum Hesiodo omnia nomina enumeranda erant? Iam in vv. 133 sqq. singulorum Titanum nomina autumaverat; semper autem in Theogonia nomina desunt, si antecedenti loco nuncupata sunt: in vv. 915 sqq. poeta Musarum praetermittit nomina, quas hic exspectamus; sed iam in prooemio ea nominaverat; itaque altero loco Musarum sufficit nomen appellativum. Praeterea consulto Hesiodus pugnantium nomina omisit, ut Iovis nomen excederet. Perperam autem iudicat, qui duo Titanum genera exstitisse putat. Etenim nonnulli viri docti ut hanc offensionem tollerent diversas Titanum gentes finxerunt. Sed haec novorum ratio cogitandi ab Hesiodo alienissima est. Nam vates Ascraeus et omnes eius aetatis Titanes *προτέρους θεούς* (cf. vv. 424, 486) intellegebant; qui Hesiodum hos priores deos in diversas partes divisisse arbitratur, omnino veterum cogitationes animo non percepit. Porro quid obstat, ne apud Hesiodum Titanes in Tartarum deiciantur? Homerus quoque et Aeschylus poetae

Titanes vitam in Tartaro degere putant[1]). In Aeschyli Prometheo Soluto chorus est ex Titanibus, qui ex Tartaro dimissi sunt. Praeterea Titanes *χθόνιοι* vocantur, i. e. qui sunt *ὑπὸ χθονὸς εὐρυοδείης.*[2]). Nimirum fieri potest, ut Iuppiter postea Themin et Mnemosynen in matrimonium ducat, quamquam hae deae ad id tempus in Tartaro habitant. Nobis enim hoc demens videtur esse; at veteres in hac re non offendebant. Neque vero Hesiodus narrationem aliquam a primo ad extremum animo persequi potest: scriptori fabulae cuiusdam iam saepius ante commemoratae iterum mentionem facienti antecedentes locos respiciendos et quasi fundamenti loco habendos esse ut nos putamus nondum cognovit, sed unamquamque fabulam per se exponit; simili enim modo Hesiodus personas nec inducit nec praeparat. Quae omnia a nostris poetis postulanda, veterum autem arti poeticae sunt absona. Nam Hesiodus singulas colligebat fabulas atque laxe soluteque inter se conectebat. Nos autem Theogoniam omnem legimus; itaque ineptias quasdam et discrepantias sentimus; cf. p. 26.

Restat, ut cur pugnatum sit sciscitemur. Quae quaestio non solum profligata et paene ad exitum adducta, sed etiam frustra et perverse posita videtur. Nam Hesiodus ex eadem causa cur pugnatum esset silentio praetervehi poterat atque quando Saturnus opes affectavisset; neque enim haec cuiquam ignota erant. Attamen poeta causam belli commemorat: v. 882 Titanes et deos *περὶ τιμάων* dimicasse comperimus. De dignitate igitur pugnatum est. Pugna finita Iovem regem statuunt; unde perspicuum est usque ad pugnam Saturnum imperium tenuisse. Iuppiter igitur patrem regno expellere volebat. Ad hoc quidem propositum etiam omnes, qui ad titanomachiam spectant, loci pertinent (cf. p. 55). Perperam de hac re iudicat Schoemannus[3]), cum Titanes ut Saturnum in regnum restituerent atque Iovi imperium adimerent pugnam commisisse putat. Qua de fabella in Theogonia Hesiodea nullum exstat vestigium.

---

1) Cf. Ed. Meyerum, Kl. Schr. II, p. 39.

2) Alio modo hanc vocem interpretatur Fickius, Beiträge zur Kunde der indogermanischen Sprachen XII 1887, p. 4.

3) Cf. Hes. Th. ed., p. 225.

Superest, ut num titanomachia carmen sui iuris fuerit examinemus. Iam inde antiquitus fuerunt, qui titanomachiam carmen sui iuris — utrum ab Hesiodo compositum sit necne viri docti dissentiunt — fuisse contenderint; censuerunt enim titanomachiam omnem esse insertam; quorum alii Hesiodum hanc narrationem infulsisse asserunt, alii posterum aliquem; alii titanomachiam probant, alii seiungunt. Hanc igitur partem per se perspiciamus, tamquam si nihil antecedat. Dure poeta narrationem traducit a Titanum stemmatibus ad novam Theogoniae partem; neque autem hac de causa titanomachiam ab Hesiodo abiudicare neque ab antecedenti parte divellere possumus. Nullo enim aptiore loco poeta hanc pugnam proponere poterat quam post Titanum seriem. Porro Hesiodus consulto vv. 613—616 transitum ad titanomachiam paravit bonum vel optimum (cf. infra p. 63). Tum autem vocem „πατήρ“ legimus, quae est magni momenti. Neque enim titanomachia, si certe ea forma atque indole, quam nunc legimus, carmen fuisset sui iuris (Hesiodum titanomachiam aliquam in suis itineribus pronuntiavisse non infitior; neque autem vv. 617—719 per se agere poterat), ab his verbis incipere poterat: nemo intellexisset, quis esset hic „πατήρ“. An putas poetam de Centimanis solvendis narrare potuisse, nisi antea de eorum origine et sorte qua fecerat verba? Nego. Ante v. 617 igitur enarrandum erat:

1. quis esset ille πατήρ,

2. qui essent Centimani atque quid eis accidisset.

Patrem autem poetam nullum alium nisi Uranum accepisse iam supra p. 21, 37 accuratius aperui; ergo de Urano eiusque filiis narrandum erat. Sin autem poeta in eorum mentionem incidebat, etiam Urani odium atque facinus litteris mandandum erat; praeterea ei, qui *Κρόνου ἐξεγένοντο,* eorumque calamitas nec silentio transiri nec obscurari poterant; neque enim quisquam sine hac meditatione pugnam dein descriptam animo comprehendisset. Hae autem sunt Theogoniae partes gravissimae: inter hanc fictam titanomachiam atque Hesiodi Theogoniam nulla intercedit varietas. Sed cum nullus poeta eadem bis describat, titanomachiam Hesiodeam neutiquam fuisse carmen per se a poeta pronuntiatum in propatulo est. Quae

sententia astruitur voce „πατήρ“, de qua supra p. 21, 28 n. 1, 37, 53 dixi; invenitur enim in vv. 207 et 502. Neque vero praeter Uranum per totam Theogoniam quisquam nomine „πατήρ“ appellatur; quae vox ne invenitur quidem ullo loco nisi apud Iovem; sed hic poeta semper verbis „πατὴρ ἀνδρῶν τε ϑεῶν τε“ quasi formula utitur; numquam vocem πατέρα solam adhibet. Eodem igitur tempore Hesiodus versus, qui sunt de Cyclopibus et Centimanis, i. e. vv. 501 sqq., 617 sqq., voce „πατήρ“ e v. 207 repetita composuit. Cur, quo modo hoc faceret, iam supra p. 53 sq. demonstravi. Praeterea e particula γάρ bis posita (vv. 627, 629) sequitur, ut poeta antea nihil amplius exposuerit.

Vv. 617 sqq. numquam initium carminis sui iuris fuisse vidimus. Nunc vero vertamus ad extremam titanomachiae partem. Sunt, qui vocem ἐκλίνϑη (v. 711) in hoc sensu ponant, ut sit „pugna erat finita“ et hic titanomachiae exitum esse impositum contendant; deinde autem — ut aiunt — Centimanos introduci continuos trecentenorum saxorum acervos iacientes Titanesque vincentes; ergo non solum pugnam bis esse finitam, sed etiam narrationem ipsam; itaque v. 711 eam, quae primo carmen sui iuris fuerit, titanomachiam finiri; quo in carmine Iovem proelium decrevisse, Centimanos autem totam per fabulam nullas egisse partes.

Si vero Centimani per totam titanomachiam nusquam commemorati essent, primum ut puto titanomachiae exordium (vv. 617—628) supervacaneum esset; deinde orationes (vv. 639—675) segregandae sunt. Restat igitur perparva pars, quae quin ad totam titanomachiam describendam numquam suffecerit quis est qui dubitet? Porro vis verbi κλίνεσϑαι non significat „finire“, sed „se inclinare“; poeta igitur Iovem vi sua proelium decernentem facere volebat: acies adversariorum nutant; finitur pugna virtute maxime Centimanorum, qui per tot ipsorum manus missis frequentibus in Titanes saxis sic denique lapidibus obrutos sub terram detrudunt victosque duris in Tartaro ligant compedibus.

Sunt, qui titanomachiam ea de causa carmen sui iuris fuisse censeant, quod in Theogoniae prooemio quod dicitur nonnulli versus (vv. 36—74) ad titanomachiam quidem aperte spectent et aptissimi sint, quibus titanomachia promittatur et

incipiatur; quae sententia, qua proximus utitur Schwennius[1]), vix affirmari poterit. Nam horum versuum argumentum multum differt a titanomachia; immo vero his versibus tota quae insequitur Theogonia brevi comprehenditur[2]). Praeterea autem sane habemus arctum conexum inde a v. 36 usque ad v. 115, quem post Friedlaenderum[3]) Schwennius[4]) quidem ostendit; secum igitur pugnat; omnino de eius sententiis celeribus et parum subtilibus licebit dubitare (cf. Natal., p. 134). Nunc si omnia complectimur: titanomachiam eam, quam in Theogonia Hesiodea legimus, numquam unum fuisse carmen atque continuum statuendum est.

Priusquam de titanomachia loquendi finem facio atque disputationem concludo, restat, ut breviter loquar de eorum sententia, qui Hesiodum pugnam inter deos et Titanes editam large exposuisse negent, quam vv. 384—403 plane contineri et absolvi contendunt. Immo satis superque poetam laudant, quod rem, qua sescentos versus explere potuerit, tam breviter nec quicquam neglegens narraverit. At totam rem, si eam hic absolvere voluit, loco minime apto proponit; necdum enim natus est Iuppiter eis temporibus, quibus Styx ipsa nascitur et deinde a Pallante in matrimonium ducitur. Praeterea Styx, non Iuppiter, id quod tamen in titanomachia sane exspectamus, hoc loco summi momenti est; deinde neque praeter Stygem liberosque quisquam, qui Iovem adiuverit, commemoratur neque qua de causa bellum cum Titanibus ortum sit poeta perhibet; quo modo Iuppiter regnum, quod adeptus est, ordinaverit, omnino non exponitur. Denique illam magnam et gravem ex qua omnia pendent pugnam tam paucis versibus absolvere poetae non licuit meo iudicio. Semper autem respiciendum est huc totam redire Theogoniam, ut Iovem summum esse deum

---

1) Cf. Natal., p. 140 sqq.

2) De hac prooemii parte vide, quae disputaverunt Ellgerus, Die Zusätze zu dem Proömium der Hesiodischen Theogonie, Programm des Sophiengymnasiums in Berlin 1883, p. 5; Alyus, Rh. Mus. LXVIII 1913, p. 27; Friedlaenderus, Herm. XLIX 1914, p. 4; Ed. Meyerus, Kl. Schr. II, p. 66.

3) Cf. Herm. XLIX 1914, p. 12.

4) Cf. Natal., p. 132.

et regem deorum pronuntietur; quod propositum poeta praecipue titanomachia assequitur. Iam in prooemio Hesiodus hanc pugnam monstrat (v. 73); per totam Theogoniam identidem audientium animus ad eam attenditur[1]); sic titanomachia tam arte non solum cum ceteris partibus sed etiam cum ipso Theogoniae argumento cohaeret, ut improbanda sit sententia eorum, qui poetam titanomachiam tam breviter et carptim perstringere vel omnino omittere potuisse arbitrentur.

Vidimus non modo totam huius narrationis dispositionem bonam esse atque accomodatam et rationi totius carminis et singulis huius fabulae membris, sed ne singulas quidem partes laude esse indignas; saepius ante poeta de hac pugna significat; quod aperte in v. 490 Iovem regem futurum esse dicit, haec verba eum fusius totam rem expositurum esse indicare videntur; atque etiam bonum poeta parat transitum ab antecedenti narratione, quae est de plane aliis rebus, i. e. de Pandora et mulieribus virorum vitam perdentibus, ad titanomachiam. Subito enim ad Iovem aggreditur (v. 613), cuius numen laudat et celebrat. Bene his versibus narrationem sequentem praeparari censeo. Quibus omnibus perpensis totam titanomachiam a multis discerptam genuinam puto.

---

[1]) Conferas quaeso, quae de hac re exposui p. 55.

Caput tertium.

De Theogoniae Hesiodeae in Orphicis theogoniis memoria[1].

Inter omnes, quae exstant, theogonias Hesiodea erat ab antiquissimis temporibus usque ad Alexandrinos summa auctoritate in rebus ad religionem publicam spectantibus. Deorum genealogias Hesiodus in omne tempus statuit, ut raro quisquam Graecorum et poetarum et scriptorum ab eo abhorruerit. Rursus ex imitationum silva patet Hesiodi carmina omnibus temporibus esse lecta vel certe versus Hesiodeos memoria comprehensos esse. Theogoniae studium praecipue floruit apud Orphicos; sciebant enim se sententias in Rhapsodiis vel aliis theogoniis expressas eo amplius diffundere posse, si niterentur in Hesiodi Theogonia iam apud omnes pervulgata, i. e. suam ab Hesiodi Theogonia repeterent. Verum Rhapsodiae, quod sciamus de earum forma, numquam sine Theogonia Hesiodea componi poterant.

Multae autem difficultates interpreti qualis sit diversitas inter Orpheum et Hesiodum disputanti oriuntur. Nam parum constat, cui tempori theogonia Orphica tribuenda sit; neque diiudicare possumus saepe, ex quanam theogonia[2]) fragmenta sumpta sint, quoniam carminum fere omnium argumenta ignota sunt. Constat autem Orphicos formam theogoniae ab Hesiodo

---

[1]) Cf. Roscherum, Abhandl. d. Sächs. Gesellsch. d. Wissensch. XXVI 1 1907, p. 40 n. 61.

[2]) In his numero Rhapsodias (frg. 60 K. — frg. 235 K.), Hieronymi et Hellanici theogoniam (frg. 54 K. –frg. 59 K.), Eudem. ap. Damasc. De princ. 124 (frg. 28 K.), Ap. Rh. I vv. 494 sqq. (frg. 29 K.), Orphei Argonaut. vv. 17 sqq., 421 sqq. (t. 224 K., frg. 29 K.). Kruegeri sententias impugno (Quaestiones Orphicae, diss. Hal. 1934); at hoc loco eas redarguere nequeo; qui inter nos sunt dissensus suo quemque loco tractabo.

deprompsisse; regnorum enim divinorum vicissitudines secundum Hesiodi Theogoniam narrant; sequuntur post rerum primordia Uranus, Saturnus, Iuppiter; quo ordine etiam apud Hesiodum dii sibi successerunt.

Sed ut accuratius inspiciamus, qua ratione Orphici de Theogonia Hesiodea dependeant, primum singula digeramus, deinde ad theogoniae formam atque indolem progrediamur.

De prooemio.

Testatur Ioannes Malalas (frg. 62 K. = Chronograph. IV 88) Orpheum prooemium praefatum esse theogoniae suae. Iam hic Orpheus cum Hesiodo consentit; nam etiam in Hesiodi Theogonia vv. 1—115 tamquam prooemium praemissi sunt; atque ut ibi Hesiodus in Helicone poeticae facultatis compotem se a Musis factum esse autumat ita hic Orpheus quoque se nihil ex proprio instinctu protulisse asseverat. Ceterum autem in Rhapsodiarum prooemio nihil invenimus, quod oleat ex Hesiodo. Nam poeta Ascraeus initio carminis Musas invocat, Orpheus contra canendi initium facit ab Apolline, qui iam in Hesiodi prooemio una cum Musis inducitur (vv. 94—95).

De Chrono.

Sequitur nunc apud utrumque poetam mundi exordium. Orpheus causam et principium omnium rerum Chronum posuit, qua de notione nulla nobis littera apud Hesiodum occurrit. Clarum tibi hoc fiet, si posterioris[1]) demum aetatis philosophos de tempore illo infinito disputavisse perlustraveris: ex Pherecydis vel Heracliti vel Pythagoreorum aetate de his rebus multum commentati sunt.

Tamen Chroni figura colorem duxit ex Hesiodo. Terra enim in Hesiodi Theogonia post expulsos caelo Titanes ex Tartaro Typhonem peperit, cuius audacia ac viribus prope factum est, ut Iovi regnum eriperetur. Erant autem virili huius

---

[1]) Cf. Wilamowitzium, Kl. Schr. V 2, p. 165.

Typhonis formae centum imposita capita anguina (vv. 824—825). Porro post absolutam Typhonis roboris figurae linguarum lambentium descriptionem (vv. 826—828) ad eam narrationem deducimur, quae est de Typhonis vocibus miris ac multiplicibus. Similiter descripsit Hesiodus aliam beluam, dico triformem Chimaeram; habet enim leonis caprae draconis corpora mixta (vv. 319—324).

Magis monstrosam imaginem exhibet Orpheus Chronum describens additis alis et capitibus taurinis et leoninis mediaque horum facie divina. Est enim Chronus ille sive Hercules ad Hesiodei exempli analogiam *δράκων ἑλικτός* ex aqua subsistenti limoque residenti procreatus in Hieronymi et Hellanici theogonia[1]) (frg. 54K., frg. 57K., frg. 58K., cf. Hes. Th. vv. 322,

---

[1]) Kruegeri sententias (l. l. p. 3) improbo; Hieronymi enim et Eudemi theogonias maxime inter se congruere contendit, quas tricas sequi nequeo. Verum Eudemus a Nocte incipit (frg. 28K.), unde elucet hunc philosophum initio rerum omnia iacuisse in tenebris docuisse. Contra Hieronymi theogonia a Chrono orditur, quam notionem cum Nocte in aequo poni nullo pacto posse nemo infitias ibit; hanc perspicuitatem iam Zellerus (Phil. d. Gr. I 1^6, p. 127) tam dilucide significavit, ut verba eius hic afferenda esse existimem: „Hier (sc. apud Hieronymum) ist nun nicht bloß die Symbolik ungleich verwickelter als bei Eudemos, sondern auch die Gedanken gehen über das hinaus, was wir in den bisher besprochenen Kosmogonien gefunden haben: hinter Chronos und Adrasteia stecken die abstrakten Begriffe der Zeit und der Notwendigkeit, die Ausbreitung der Adrasteia durchs Weltall erinnert an die platonische Lehre von der Weltseele, und in der Auffassung des Zeus als Pan erkennen wir einen Pantheismus, dessen Keim allerdings von Anfang an in der griechischen Naturreligion lag, den aber anderweitige sichere Zeugnisse erst von der Zeit an beurkunden, als die Bestimmtheit der besonderen Göttergestalten durch den religiösen Synkretismus sich aufgelöst und der Stoizismus eine pantheistische Weltanschauung in weiten Kreisen verbreitet hatte." Praeterea si Kruegeri viam ingrederemur, in Rhapsodiis quoque Chronus loco Noctis ponendus est. Sed hic Chronum principem locum obtinuisse praeter multos ceteros Proclus tradit in frg. 66K. (= Procl. in Plat. Rempubl. II 138Kr.). Nox autem Phanetem excipit. Iam vides sententias Kruegeri vanescere ac diffluere. Sed porro pergamus. Kruegerus Adrasteam, Iovis nutricem, (frg. 162K.) minime ab illa *διωργυιωμένῃ* cum Chrono congregata (frg. 54K.) differre asserit (l. l. p. 6). Attendamus autem Iovis nutricem Amaltheae filiam esse (cf. frg. 105K.: *γενομένη ἐκ*

825); adnatum est ei caput *ταύρου* (frg. 54K.: *κεφαλὰς ἔχοντα προσπεφυκυίας ταύρου*, cf. Hes. Th. v. 832) et *λέοντος* (frg. 54K., frg. 57K., cf. Hes. Th. vv. 321, 833) et per medium corpus *θεοῦ πρόσωπον* (frg. 54K.: *ἐν μέσῳ δὲ θεοῦ πρόσωπον* = frg. 57K.: *διὰ μέσου δὲ αὐτῶν θεοῦ πρόσωπον*). Quibus in rebus Chroni effigiem cum illa Hesiodi figura congruere apparet, praeterquam quod Orpheus Hesiodi sententias fusius dilatat et amplificat; nam pro bestiarum vocibus bestias ipsas substituit.

Similem Chroni speciem vates Thracius in Rhapsodiis adumbrat (frg. 78K. = Herm. in Plat. Phaedr. 246e, frg. 79K.,

---

Μελίσσου καὶ Ἀμαλθείας), cum haec Necessitas cum Chrono consociata omnibus deis anteposita parentibus careat; cf. Kernium, De theog., p. 33. Quod Kruegerus (l. l. p. 2) de frg. 14K. (= Plat. Phileb. 66c) disputans Noctem in primam aetatem detrudit, hanc rationem, quam novam esse simulat, non ipse excogitavit, sed a Zellero surripuit (Phil. d. Gr. I 1[6], p. 124 *adn. 2). Etiam Noctem in antiquissima theogonia Orphica ovum peperisse ante Kruegerum viri docti opinati sunt (cf. Gruppeum, lex. myth. a Roschero ed. III 1, p. 1121; Zellerum, Phil. d. Gr. I 1[6], p. 125 n. 2, quibus fontibus Kruegerus hortulos suos irrigavit). Cf. W. K. C. Guthrie, The classical Review XLIX 1935, p. 69 sq.; Pfisterum, Philologische Wochenschrift LV 1935 (= Phil. Wo.), p. 93. Sed priusquam ad finem properaverimus, accuratius contemplemur Aristoph. Av. vv. 691 sqq. Kruegerus enim (l. l. p. 4) Kernio (De theog., p. 49) aliisque plaudens comicum plurima ex theogonia Orphica antiquissima arcessivisse pronuntiat. Colligit autem Aristophanem Noctem solam non procusam deam putavisse ex ea re, quod Chao et Erebo in v. 691 ortus tribuitur. Sed Kruegerus v. 693 relinquit, cuius in primo, i. e. gravi, loco legimus: *Χάος ἦν* . . ., Unde patet ad Aristophanis opinionem Chaos primum principium fuisse neque verba Avium (v. 691) habere magnum momentum. Deinde Kruegerus Aristophanem antiquissimam theogoniam Orphicam depeculatum esse divinat, cum comicus et Chaos et Erebum ita ut auctor theogoniae Hieronymianae nuncupet. Sed nonne ex aequo Aristophanes hoc ex Theogonia Hesiodea hausisse potest? Atque etiam affirmatur nostra sententia duobus his argumentis: Aristophanes Nocti cognomen *μελανόπτερος* tribuit, quod ex Hesiodo, at numquam ex Orpheo deprompsisse potest (v. p. 79—80). Deinde comicus dicere pergit: „. . . *οὐδ' ἀήρ . . . ἦν*, quod quadrat ad Hesiodum. Contra in Hieronymi theogonia *Αἰθήρ* omnibus deis antepositus est. Denique quaestio oritur, unde Aristophanes Tartarum sumpserit; comicum enim pro Aethere Tartarum substituisse nemo eorum, qui suae mentis sunt, putabit, cum hae notiones maxime inter se differant. Cf. p. 8* n. 1; Pfisterum, Phil. Wo., p. 92.

frg. 82 K. = Procl. in Plat. Tim. 39e). Etiam hic Chronus instructus est diversis capitibus[1]) atque aureis alis nitet.

Neque tamen Orpheus Chroni figuram secundum Hesiodi Typhonem vel Chimaeram composuisse satis habet, sed etiam alia monstra horrenda vel dei ad Typhonis vel Chroni descriptionem ficti videntur: Pana-Phanetem Damascius sic describit (frg. 54 K.): *καὶ τρίτον ἐπὶ τούτοις θεὸν ἀσώματον, πτέρυγας*[2]) *ἐπὶ τῶν ὤμων ἔχοντα χρυσᾶς, ὃς ἐν μὲν ταῖς λαγόσι προσπεφυκυίας εἶχε ταύρων*[3]) *κεφαλάς, ἐπὶ δὲ τῆς κεφαλῆς δράκοντα πελώριον παντοδαπαῖς μορφαῖς θηρίων ἰνδαλλόμενον.* Haec describendi ratio etiam dilucidius quam Chroni effigies proficiscitur ex Hesiodei Typhonis descriptione propterea quod illae *παντοδαπαὶ μορφαὶ θηρίων* reddunt Hesiodi bestiarum voces varias. Porro adiectivum *πολύμορφος* (frg. 60 K.) ad hanc imaginem pertinere mihi videtur; denique Iovi attribuuntur gemina cornua in tauri speciem alto vertice exstantia (frg. 168 v. 14 K. = Porphyr. ap. Euseb. Praep. ev. III 9).

Chronum et in Hieronymi theogonia et in Rhapsodiis *ἀγήραον* appellatum esse patet ex frg. 54 K., frg. 66 K. (= Procl. in Plat. Rempubl. II 138 Kr., cf. frg. 54 K. inferiorem locum ad Rhapsodias spectantem: *ὁ πολυτίμητος ἐν ἐκείνῃ Χρόνος ἀγήραος*); quo epitheto Hercules, Alcmenae filius, cognominatur etiam in Th. Hes. v. 955.

De Chao.

Deinde Chronus ex se Chaos et Aethera progenerasse dicitur. Qua de re edocemur cum multis aliis testimoniis tum

---

[1]) Hermannus, Orph. ed., p. 503 locum sic persanavit:

κρίας, ταυρείους, ὄφιος, χαροποῦ τε λέοντος

contra Lobeckius, Agl. I, p. 490:

κριοῦ καὶ ταύρου τ' ὄφιος χαροποῦ τε λέοντος.

Cf. H. de Herwerden, Herm. V 1871, p. 139. Quocumque modo hunc versum legis, extremae voces proficiscuntur ab Hes. Th. v. 321; cf. vv. 322, 825, in quibus vox *ὄφιος* eodem versus loco legitur.

[2]) Alatus est Pan quemadmodum Chronus in eodem fragmento ineunte. Cf. hymn. Orph. VI v. 2.

[3]) Lobeckius, Agl. I, p. 486 n.* inter *ταύρων* et *κεφαλάς* plura elapsa esse animalium nomina suspicatur. Cf. hymn. Orph. VI v. 3.

frg. 66K. (= Procl. in Plat. Rempubl. II 138 Kr. et Simplic. in Aristot. Phys. IV 1 208b 29). Locus autem longe gravissimus invenitur apud Procl. in Plat. Tim. 30a; I p. 385 Diehl[1]): *ὥσπερ γὰρ ὁ Πλάτων διττὰς παρήγαγεν αἰτίας ἀπὸ τοῦ ἑνός, τὸ πέρας καὶ τὴν ἀπειρίαν, οὕτω δὴ καὶ ὁ θεολόγος ἀπὸ τοῦ χρόνου τόν τε αἰθέρα καὶ τὸ χάος ὑπέστησε, τοῦ μὲν πανταχοῦ πέρατος αἴτιον τὸν αἰθέρα, τῆς δὲ ἀπειρίας τὸ χάος· καὶ ἀπὸ τούτων τῶν δυοῖν ἀρχῶν τούς τε θείους γεννᾷ διακόσμους καὶ τοὺς ἐμφανεῖς.* Iam hic Orphicos de Hesiodo pendere animadvertimus; nam Hesiodus primum Chaos fuisse docet.

In theogoniae alicuius Orphicae[2]) vestigiis, quae in Orph. Arg. vv. 12 sqq., 421 sqq. (t. 224K., frg. 29K.) invenis, auctor Chaos in initio ipso ponit. Nam in v. 12 scripsit:

ἀρχαίου μὲν πρῶτα Χάους . . .

cuius versus verba *μὲν πρῶτα Χάους* in memoriam revocant Hesiodi voces *μὲν πρώτιστα Χάος* (v. 116) eodem versus loco positas; simili modo in v. 421 legitur:

πρῶτα μὲν ἀρχαίου Χάεος . . .

Auctorem huius theogoniae in exponendis rerum primordiis Hesiodum secutum esse dilucidius fit nobis in versibus sequen-

---

[1]) Frg. 52 Ab. Quamquam Kernius, Orph. frg. ed., p. 371 hunc locum in frg. 66 relegat, tamen Procli verba ibi non exstant.

[2]) Quae a Kruegero disputata sunt (l. l. p. 11), nullam habent persuadendi vim. Kruegerus enim vestigia antiquissimae theogoniae Orphicae in theogonia ab Argonauticorum auctore descripta impressa esse censet. At Necessitatem ex Chao natam esse nulla littera nos docet (cf. Eislerum, Weltenmantel und Himmelszelt II, Mon. 1910, p. 397 n. 1); praeterea Kruegerus consulto praeterit silentio ne Hieronymi quidem in theogonia Necessitatem illam Aquae filiam esse; implicaretur enim multis difficultatibus propterea quod Argonauticorum auctorem pro Aqua Chaos posuisse pronuntiat. Quod Kruegerus pro *κόλποις* legendum esse *ὁλκοῖς* asseverat, argumentum paene ridiculum affert; ementitur enim vocem *ὁλκός* de corpore draconis proculcatam esse, quae sententia longissime a vero abest. Nullo enim loco *ὁλκός* vim serpendi habet nisi apud Nic. Ther. vv. 266, 316; praeterea si Kruegeri opinionem sequeremur, quid sibi vellet vox *ἀπειρεσίοις*? Nemo huius vocabuli significationem intellegat. Memoratu dignum est etiam in Aristoph. Av. v. 694 verba *ἐν ἀπείροσι κόλποις* esse tradita. Sic corruunt Kruegeri opinionum commenta.

tibus eum non Chaos, sed Aethera solum Chroni filium intellexisse videntibus (vv. 13 sq.). Num contra poeta Chronum et Necessitatem Chaus liberos intellexerit, diiudicare non ausim.

Mirum autem est quod Rufinus affert (frg. 55 K. = Recognit. X 30): „Orpheus igitur est, qui dicit primo fuisse Chaos sempiternum ...“

Sed Rufinum hic non erravisse demonstrabo. Notum enim est Clementis Homilias ab aliquo viro docto vel patre ecclesiastico retractatas esse. Hanc autem retractationem Rufinus, qui Hesiodi vel Orphei carmina ignorabat, quamquam aliorum scriptorum opera indiligenter traducere solebat, tamen paene ad ipsa Clementis verba transtulit; insuper ipse in praefatione Gaudentio episcopo inscripta se operam dedisse, ut non solum a sententiis, sed ne a sermonibus quidem elocutionibusque discederet, affirmat. Sed quam accurate Rufinus Clementis librum converterit, ex hac tabula perspicias:

Homil. VI 3:	Recognit. X 30:
ἦν ποτε, ὅτε οὐδὲν ἦν πλὴν χάος (p. 74, 7 de Lagarde)	primo fuisse chaos (p. 1436 C Migne)
ὡς ἐκεῖθεν ἁπάντων τὴν γένεσιν (p. 74, 13)	ex quo omnia facta sunt (p. 1437 A)
στοιχείων ἀτάκτων μίξις (p. 74, 7)	omnia simul mista (p. 1437 A)
τὸ χάος ᾠῷ παρεικάζει (p. 74, 18)	ad ovi modum (p. 1437 A)

Rufinus igitur Hesiodi vel Orphei carminum ignarus cum verba ἦν ποτε, ὅτε οὐδὲν ἦν πλὴν χάος legeret nihil aliud nisi omnes cosmologos et inter eos etiam Orpheum Chaos primo loco nominavisse opinari poterat. Itaque scripsit: „Orpheus igitur est, qui dicit primo fuisse Chaos ...“ Ceterum iam retractatorem hoc loco lapsum esse putem propter illam Rufini affirmationem modo laudatam.

Rufinum autem per totum capitulum nullum alium nisi Orpheum intellexisse docent eius verba: „Haec quidem Orpheus.“

Eodem modo alius locus (frg. 56 K. = Recognit. X 17) ex Homiliis sumptus est; hic enim respondit Hom. VI 2 et VI 5; exempla autem affero haec:

Hom. VI 2:	Recognit. X 17:
ἀνδρῶν σοφώτατοι (p. 73, 5)	sapientiores (p. 1429A)
ἀπ' Οὐρανοῦ καὶ Γῆς γεγόνασιν παῖδες δώδεκα (p. 73, 8)	ex Coelo ... de Terra (p. 1429 A—B)
ἄρρενες ... (sequuntur nomina) (p. 73, 9)	mares ... (sequuntur nomina) (p. 1429B)
θήλειαι ... (sequuntur nomina) (p. 73, 10)	feminas ... (sequuntur nomina) (p. 1429B)
τὰ αἰδοῖα Κρόνος Οὐρανοῦ ἐκτεμὼν . . . εἰς βυθὸν ἀπέρριψεν (p. 73, 11)	desectaque eius genitalia in mare proiecit (p. 1431B)
ἀλλ' οὐδ' ἐκ τῆς ἀποτομῆς σταγόνων ῥυέντος αἵματος ἡ Ἀφροδίτη ἐγένετο (p. 73, 12)	sed cruor, qui defluxit ex vulnere ... procreavit eam, quam dicunt Aphroditen (p. 1431B)
Hom. VI 5:	**Recognit. X 17:**
ζῷόν τι (p. 75, 13)	animal quoddam (p. 1429A)
ἀρρηνόθηλυ (p. 75, 13)	quam illi masculofeminam vocant (p. 1429A)
ὃν Φάνητα καλεῖ, ὅτι αὐτοῦ φανέντος τὸ πᾶν ἐξ αὐτοῦ ἔλαμψεν (p. 75, 14)	hunc etiam Phanetam nominarunt, ab apparendo, quia cum apparuisset, tunc etiam lux effulsit (p. 1429A)

Hoc igitur modo Rufini Recognitiones ortae sunt; itaque Rufinus neque Hesiodea admiscuit Orphicis[1]), neque „testis obscurus"[2]) nominari potest. Hic oritur quaestio, qua ex theogonia Clemens Romanus suas narrationes hauserit. Kernius[3]) enim, qui quondam cur Abelius Clementis locos in Hellanici theogonia posuisset mirabatur, ipse haec fragmenta in editione sua egregia in eandem theogoniam relegavit. Nunc autem Eislerus[4]) Apionem hic Orphicam theogoniam aliasque

---

[1]) Cf. A. E. I. Holwerda, Mnemosyne XXII 1894, p. 313; Eislerum, l. l. p. 421 n. 1.

[2]) Cf. Lobeckium, Agl. I, p. 536.

[3]) De theog., p. 10 n. 16.

[4]) l. l. p. 421.

Iranicae originis fabulas in unum miscuisse pronuntiavit. Etiam Rufinus infimam ovi partem Plutonem appellat. Convenit enim Hom. VI 6 cum Recognit. X 32:

τὸ μὲν γὰρ κατώτερον . . . ὑπὸ τοῦ βάρους εἰς τὰ κάτω ὑποκεχώρηκεν, ὃ διὰ τὴν ὁλκότητα καὶ διὰ τὸ ἐμβριθὲς . . . Πλούτωνα προσηγόρευσαν (p. 75, 26)	(bulla) . . . abrupta tandem demergitur in profundum, ac pondere ipso pertracta in infernum descendit et Aides appellata est, qui et Pluto nominatur (p. 1437 C)

Mirum autem est, quod legimus in frg. 107 K. (= Alexand. Aphrodis. in Aristot. Metaphys. *N* 4 1091 b 4): *καὶ ἐπεὶ πρῶτον μὲν κατ' Ὀρφέα τὸ Χάος γέγονεν . . .* Sine ullo dubio Alexander hic erravit vel falsa rettulit.

De Aethere.

Etiam Aethera in rerum primordiis apud utrumque poetam invenis. Cum enim Terra in Chao exstitisset, primaevum hoc vastum spatium ita divisum esse Hesiodus narrat, ut eius duae exsisterent partes. Itaque Nox, i. e. caligo supra Terram, et Erebus, i. e. caligo infra Terram, oriuntur. Deinde autem Nox lucem, dico Aethera, procreat. Hesiodi igitur primam lucem etiam Orphici inter rerum principia posuerunt, quamquam in theogoniis Orphicis color cosmogonicus, quo Orphici deos vel deas exornare solent, evidentior est quam in Hesiodi Theogonia[1]).

Abhorret paululum Ioannes Malalas (frg. 65 K.). Audimus enim a principio Aethera esse conditum, hunc autem Chaos undique cinxisse. Unde concludam Orphicos studuisse alicubi locum, quo situm esset Chaos, statuere. Astipulantur Damascius (frg. 54 K.): . . . *Αἰθέρα, φησί, νοτερὸν καὶ Χάος ἄπειρον,* cuius ex voce *ἄπειρον* Orphicos de Chaus loco deliberavisse perspicimus, et Proclus (frg. 66 K. = in Plat. Rempubl. II 138 Kr.), qui Chaos epithetis *μέγα* et *πελώριον* cognominat, et Syrianus (frg. 66 K. = in Aristot. Metaphys. *B* 4 1000 b 14,

---

[1]) Cf. Eislerum, l. l. p. 650.

frg. 107 K. = in Aristot. Metaphys. *N* 4 1091 b 4: *τὸ δὲ Χάος ὑπὲρ τὴν τοῦ βασιλεύοντός ἐστι σχέσιν*). Locus autem praeclarissimus invenitur apud Simplicium (frg. 66 K. = in Aristot. Phys. IV 1 208 b 29), quo in fragmento iterum cognomen *πελώριον* legimus: *μετὰ γὰρ τὴν μίαν τῶν πάντων ἀρχήν . . . Αἰθέρα καὶ τὸ πελώριον χάσμα προελθεῖν φησι, τὸν μὲν τῆς περατοειδοῦς προόδου τῶν θεῶν αἴτιον, τὸ δὲ τῆς ἀπειροειδοῦς. καὶ λέγει περὶ αὐτοῦ·*

οὐδέ τι πεῖραρ ὑπῆν, οὐ πυθμήν, οὐδέ τις ἕδρα

cuius versus ultimae voces depromptae sunt ex Hes. Th. v. 386.

Hesiodus contra, poeta durus atque indoctus, de his rebus secum non meditatus est. Ceterum Malalae narrationem cum Rhapsodiis nonnullis locis non consentire notum est. Haud scio, an Malalas aliam theogoniam Orphicam hic referat[1]) vel complurium theogoniarum sententias miscuerit. Adicit enim ultro Lucem-Phanetem incomprehensibilem omnibus superiorem Aethera condidisse; deinde autem Lucem Aethera perrupisse terramque illuminasse. Quae sententiae simili modo expressae sunt in frg. 237 K. (= Macrob. Saturn. I 18), quod ex quo carmine fluxisse viri docti dissentiunt. Auctor igitur eius theogoniae, quam Malalas refert, Phanetem iam intellegit Lucem[2]).

Etiam de Aethere Orphici multum meditati sunt; appellant enim eum *νοτερόν* (ut conveniat cum Aqua primae triadis: frg. 54 K. et *περιμήκεα* (frg. 73 K.) et *ἄφατον* (frg. 165 K. = Procl. in Plat. Tim. 28 c et in Plat. Tim. *B* prooem. et Simplic. in Aristot. Phys. IV coroll. de loco; I p. 643 Diels); quanta fuerit Aetheris auctoritas[3]) etiam perspicitur ex frg. 65 K. supra p. 72 laudato: *ὅτι ἐξ ἀρχῆς ἀνεδείχθη τῷ Χρόνῳ ὁ Αἰθὴρ ἀπὸ τοῦ θεοῦ δημιουργηθεὶς καὶ ἐντεῦθεν κἀκεῖθεν τοῦ Αἰθέρος ἦν Χάος . . .*

---

[1]) Cf. Schoemannum, op. acad. II, p. 14 adn. 20; Schusterum, De veteris Orphicae Theogoniae indole atque origine, diss. Lips. 1869, p. 93 n. 1; Gruppeum, Jahrbücher für klassische Philologie, Supplementband XVII 1890 (= Jahrb. Suppl.), p. 694 n. 1, qui utitur verbis: „eine der jüngeren orphischen Theogonien".

[2]) Cf. Dielesium, Festschrift Theodor Gomperz dargebracht, Vind. 1902 (= Festschr. Gomp.), p. 13.

[3]) Cf. hymn. Orph. V.

Aether, cuius apud Hesiodum longe diversa origo est, in Rhapsodiis Chroni filius est neque inter deorum reges numeratur. Paululum abhorret ab hoc loco ei tribuendo schol. in Procl. Tim. 28c (frg. 107 K.): ... *τέταρτος* [sc. *βασιλεύς*] *ὁ Αἰθήρ* ..., quam ob rem hunc locum[1]) nebulosum non intellego.

De Erebo.

De Erebo in Rhapsodiis nullum exstat vestigium. Sed aliam Damascius memorat theogoniam Orphicam ab Hieronymo et Hellanico traditam, in qua Erebus invenitur (frg. 54 K.). Chronus enim vel Hercules cum *Ἀνάγκῃ* sive *Ἀδράστειᾳ*, h. e. naturae necessitate, copulatus Aethera Chaos Erebum procreat. Permagna autem inter viros doctos dissensio est[2]), utrum illa Damascii verba ad Hieronymi theogoniam spectent necne. Damascius primum de priore Hieronymi triade refert, dico aquam limum Herculem; deinde a verbis *καὶ ὑπολαμβάνω* ... ad Rhapsodias transit. Porro de Rhapsodiis loquitur usque ad verba *Αἰθέρος καὶ Χάους πατήρ*; inde ab his verbis iterum Hieronymi theogoniam intellegit; vocibus autem *ἀμέλει καί* utitur, ut sit sensus: sed ne in Hieronymi quidem theogonia Chronus liberis caret. Contra verba *ἐν ἐκείνῃ* ponit *κατὰ ταύτην*. Praeterea Erebus nullo alio fragmentorum loco commemoratur; quod fieri non potest, si ille Damascii locus ad Rhapsodias spectaret. Accedit, quod Damascius Aethera Chaos Erebum significat vocibus „*δευτέραν τριάδα*", cui *πρώτην* quam *τριάδα* antecedendam esse apparet. Si haec principia Rhapsodiis tribuere vis, illam *πρώτην τριάδα* vix invenies. Paulo post Damascius etiam *τὴν τρίτην τριάδα* commemorat.

Auctor igitur huius theogoniae Erebum inter rerum principia posuit secundum Hes. Th. v. 123.

---

[1]) Cf. indicem III a Kernio in sua editione confectam s. v. *Αἰθήρ* (p. 376).

[2]) Cf. Zoegam, Abhandlungen, Gott. 1817, p. 240 sq.; Lobeckium, Agl. I, p. 485 sq., quem secutus est Zellerus, Phil. d. Gr. I 1^6, p. 127 n. 1; Brandisium, Handbuch der Geschichte der Griechisch-Römischen Philosophie I, Berol. 1835, p. 67; Schusterum, l. l. p. 81—84; Kernium, De theog., p. 28.

De Tartaro.

Hesiodus etiam Tartarum una cum Terra exstitisse dicit. Neque autem Orphici hac in re poetam Ascraeum secuti videntur esse. Tamen in Tartari descriptione permulta reperiuntur, quae cum Hesiodo conspirant. Ex frg. 167 K. (= Procl. in Plat. Tim. 28c) Tartarum in extremis partibus terrarum situm esse discimus.

Eandem opinionem exprimunt versus Hesiodei permulti; affero exempli causa vv. 119, 518 (qui conferendus est cum v. 745), 622, 721, 731, 738, 809, 841, quorum proximum (v. 841):

πόντος τ' Ὠκεανοῦ τε ῥοαὶ καὶ τάρταρα γαίης

Orpheum in v. 3 ante oculos habuisse perspicuum est.

Etiam alii huius fragmenti versus permulta praebent verba, quae Orphici ex Hesiodi Theogonia deprompserunt: versus 2:

πόντου τ' ἀτρυγέτου γαίης τ' ἐρικυδέος ἕδρη

iniens Th. Hes. v. 737 (241, 696, 808):

πόντου τ' ἀτρυγέτοιο καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος

repetit.

Tum verba *Ὠκεανός τε μέγας*, quae in v. 3 exstant, etiam in Hes. Th. v. 20 casu converso occurrunt:

Γαῖάν τ' Ὠκεανόν τε μέγαν . . .

Item v. 4:

καὶ ποταμοὶ καὶ πόντος ἀπείριτος ἄλλα τε πάντα

maximam in partem cum Th. v. 109:

καὶ ποταμοὶ καὶ πόντος ἀπείριτος, οἴδματι θυίων

concinit.

Denique v. 5:

πάντες τ' ἀθάνατοι μάκαρες θεοὶ ἠδὲ θέαιναι

secundum Hes. Th. v. 881:

αὐτὰρ ἐπεί ῥα πόνον μάκαρες θεοὶ ἐξετέλεσσαν

compositus videtur esse.

Etiam evidentior imitatio est in frg. 168 K. (= Porphyr. ap. Euseb. Praep. ev. III 9)[1]). Nam radices terrae usque ad Tartarum pertinere ex Hes. Th. vv. 727 sq. hauserunt:

αὐτὰρ ὕπερθεν
γῆς ῥίζαι πεφύασι καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης·

---

1) Cf. p. 77 n. 1.

eadem sententia exprimitur in v. 29:

. . . *χθονὸς ἔνδοθι ῥίζαι.*

Deinde voces *Τάρταρά τ' εὐρώεντα* versus 30:

Τάρταρά τ' εὐρώεντα καὶ ἔσχατα πείρατα γαίης

in Th. v. 119 (cf. v. 682 et vv. 736—739: *Ταρτάρου ἠερόεντος — πείρατ' — εὐρώεντα*):

Τάρταρά τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης

versu ineunte leguntur. Aeque eiusdem versus ultimae voces cum vocabulo *ἔσχατα* coniunctae ex Hes. Th. v. 622:

ἧατ' ἐπ' ἐσχατιῇ, μεγάλης ἐν πείρασι γαίης

receptae sunt. Totus autem versus colorem duxit ex Hes. Th. v. 731:

χώρῳ ἐν εὐρώεντι, πελώρης ἔσχατα γαίης.

Omnino Hesiodus ad Tartarum describendum adhibet voces et *ἔσχατα*:

v. 275 (qui comparandus est versibus 518 et 746):

ἐσχατιῇ πρὸς νυκτός, . . .

v. 622: *ἧατ' ἐπ' ἐσχατιῇ, . . .*

v. 731: *χώρῳ ἐν εὐρώεντι, πελώρης ἔσχατα γαίης*

et *πείρατα*;

v. 518: *πείρασιν ἐν γαίης, . . .*

v. 622: . . . *μεγάλης ἐν πείρασι γαίης*

v. 738 (809): *ἑξείης πάντων πηγαὶ καὶ πείρατ' ἔασιν*

De frg. 215 K. (= Procl. in Plat. Tim. 24 e) altero versu cf. p. 107.

In frg. 125 K.[1]) descriptionem Tartari longiorem invenis; sed incertum est, quo loco Orpheus has sententias protulerit; carmen illud, quod inscriptum erat *Κατάβασις εἰς Ἅιδου*, hoc titulo nonnullis viris doctis suspicioni opportunissimum videbatur; quam ob rem Ettigius[2]) hoc fragmentum ex Orphei „*εἰς Ἅιδου κατάβασις*“ sumptum esse credit. Praeterea hoc

[1]) Cf. frg. 123 K. (= Olympiodor. in Plat. Phaedon. C III *ος'*).

[2]) Cf. Leipziger Studien zur klassischen Philologie XIII 1891, p. 287.

fragmentum tantum ostentat Empedoclis[1]) studium, ut illa verba ad Orphei librum serioris aetatis pertinere putem (cf. p. 103).

Hoc loco statim subiungam, quae reperimus in frg. 222 K. Etiam huius fragmenti verba ad quendam descensus ad inferos locum spectare multi viri docti iure contendunt[2]). Proclus autem Platonem hoc loco usum esse autumat. Sed inter libros Orphicos, quos Plato appellat, illam *Κατάβασιν* frustra quaeras. Kernius utraque fragmenta in Rhapsodiis posuit.

Postremo[3]) frg. 295 K. clare Orphicos dis perfidis eandem poenam attulisse monstrat, quae Th. in vv. 793 sqq., 801 sqq., 805 descripta est; neque vero quicquam obstare videtur, quominus hoc fragmentum in Rhapsodias referendum sit[4]). Tamen illa verba ita cum Hesiodi sententiis congruunt, ut Servium hic erravisse et pro Orpheo Hesiodi Theogoniam intellexisse paene putem.

Orphici igitur Tartarum eodem modo atque Hesiodus describebant; neque autem inter primordia eum afferunt.

De Amore-Phanete.

Iam Hesiodus Amorem in rerum principiis posuit. Unde intellegitur poetam Ascraeum hac persona vim quandam movendae materiae et ad rerum generationem impellendae significare voluisse. At nihil amplius Amor agit; per totam

---

[1]) Cf. frg. 168 v. 8 K. (= Porphyr. ap. Euseb. Praep. ev. III 9) et frg. 169 v. 3 K. (Aristocritus Manich. in Theos. Tubing. 50). Eadem igitur de causa etiam haec fragmenta recentiori theogoniae formae tribuenda erunt.

[2]) Cf. Ettigium, l. l. p. 287; Nordenium, Herm. XXVIII 1893, p. 398; Dieterichium, Nekyia², Lips. 1913 (= Nekyia²), p. 134, 194 n. 4; Nordenium, Verg. Aen. VI ed.³, p. 26.

[3]) Haud scio, an huc pertineat Marsilii Ficini De immort. anim. XVIII 10; I p. 411 (frg. 321 Ab. Kernius hunc locum non habet): „Orpheus autem novem praecipuas animabus distribuit regiones ... ubi novies insuper Styx interfusa coercet ... unde novem gradibus culparum novemque poenarum merito computantur“, cuius numerus novenarius cum Hesiodi narratione illa conspirat (vv. 791 sq., 801 sqq.).

[4]) Etiam Ettigius (l. l. p. 287) incertissimum dicit esse, num hic locus ex „descensu in Tartarum“ petitus sit.

Theogoniam nullum nos docet vestigium de eius munere ac via, qua rerum deorumque procreationem efficiat. Multo autem diversa est hac in re theogonia Orphica. Audimus enim ovo illo, quo Chaos et Aether coaluerant, dirupto Phanetem prodiisse, qui idem etiam *Ἔρως* cognominatur (frg. 74 K.). Hic est demiurgus et architectus totius mundi.

In primis quoque principiis Amorem statuit eius theogoniae, quae Orph. Arg. vv. 421 sqq. (frg. 29 K.) indicatur, auctor Hesiodum maxime secutus; addit porro ex Amore aliam deinceps rerum generationem esse exortam. Rursus conspirat cum Hesiodo Amoris epitheton *πρεσβύτατος*, quo cognomine primum Amorem fuisse significatur[1]).

Mirum autem in modum cum hoc Amore copulatur Rhapsodiarum Phanes-Metis; nam adiectivum *πολύμητις*[2]) pertinet ad Phanetis-Metidis descriptionem, qui sapientia excellit (cf. frg. 60 K.: *νοῦς*, frg. 65 K.: *βουλή*) ut Hesiodi Metis (cf. v. 887 *πλεῖστα ἰδυῖα*). Contra ad Hesiodi Amorem quadrat epitheton *πολυτερπής*, quod multis Rhapsodiarum locis Amori imponitur.

Differt autem ab hoc Amore-Phanete ille Amor, quem commemorat Proclus (frg. 184 K.). Audimus enim Amorem Venerem comitari; quam fabulam Hesiodus narrat Th. in v. 201. Contra in theogonia Orphica Fraudem et Zelum Veneri comites adiungi scimus (cf. frg. 127 K.). Itaque Proclum hic Hesiodea Orphicis immiscuisse vel consulto falsa rettulisse credam[3]).

Nihilo clarior res est in frg. 202 K. Incertum enim est, num Proclus hoc loco Phanetem intellexerit.

Quae cum ita sint, num Orphici praeter Phanetem alium Amorem attulerint, in suspenso relinquendum est[4]).

---

[1]) Vossius vertit: „der erhabenste"; cui viro litterato assentiri nequeo collato Plat. Symp. 178 b. Omnino in Hesiodi Theogonia hoc adiectivum ad nihil aliud spectat nisi ad vetustatem (cf. vv. 234, 363, 377).

[2]) Cf. hymn. Orph. VI v. 10.

[3]) Num A. E. I. Holwerda, l. l. p. 329 hac de re recte iudicaverit, dubito.

[4]) Haud scio, an frg. 202 K. aliunde venerit neque Theogoniae adnumerandum sit.

Frg. 37 K. Guil. Krollius[1]) ex Rhapsodiis expungit; neque autem Proclum hic erravisse quisquam contendet comparato hoc versu cum Órph. Arg. vv. 13 sq.

De Nocte.

Nox apud Orphicos praeter Phanetem maxima florebat auctoritate. Hic Orphici multum ab Hesiodi Theogonia abhorrent; nam apud Orphicos Nox, quam Phanes ex se progenuit, pulcherrimis ac splendidissimis coloribus exornata est; multum Nox valet; multum proficit; omnium rerum peritissima est; omnibus rebus praefecta est; iustitiam exercet, vaticinandi arte instructa est, sapientiam colit. Atque etiam in Eudemi theogonia (frg. 28 K.) proponebatur omnium rerum ortus ex una materia prima, dico ex Nocte. Quam eximio loco Nox apud Orphicos posita sit, facile ex his fragmentis perspicias.

Appellatur Nox *ἱερή* in frg. 86 K. (= Herm. in Plat. Phaedr. 247 c), *αἰδοία* in frg. 99 K. (= Herm. in Plat. Phaedr. 247 d), quo loco Nox etiam Iustitiae in aequo ponitur et vaticinatrix est[2]), *μαρμαρυγή* in frg. 100 K., *ἀμβροσίη* in frg. 106 K., *ἄμβροτος* et *θεῶν ὑπάτη* in frg. 164 K. (= Procl. in Plat. Tim. *B* prooem.).

Qui locus Nocti in Rhapsodiis tributus sit, rursus ex his epithetis cognoscitur.

Cognominatur Nox *θεῶν τροφός* in frg. 106 K., *θεῶν μήτηρ* in frg. 107 K. (= Alexand. Aphrodis. in Aristot. Metaphys. *N* 4 1091 b 4 = frg. 111 K. et Syrian. in Aristot. Metaphys. *N* 4 1091 b 4), *πρώτη οὐσία* et *τροφὸς πάντων* in frg. 131 K. et habet *βασιληΐδα τιμήν* (frg. 101 K.). Porro a Nocte deorum ac rerum[3]) generatio incipit: ex occulto ad lucem dei pro-

---

[1]) Cf. Philolog. LIII 1894, p. 561.

[2]) Num Neoplatonici hoc loco quasi nugas agant, sciscitari non potest; cf. Procl. in Plat. Crat. 395 a p. 48 Pasqu. (frg. 127 Ab.), quem locum non legis apud Kernium: *προϊούσης δὲ διά τε τῶν τριῶν νυκτῶν καὶ τῶν οὐρανίων ὑποστάσεων εἰς τὴν Τιτανικὴν γενεάν.* V. Lobeckium, Agl. I, p. 503; Kernium, De theog., p. 6; A. E. I. Holwerda, l. l. p. 311; Gruppeum, lex. myth. III 2, p. 2250; Eislerum, l. l. p. 656 n. 2.

[3]) Hac de causa Nox in hymn. Orph. III v. 2 *γένεσις πάντων* et *Κύπρις* appellatur. Cf. Hermannum, Orph. ed., p. 257; Lobeckium,

grediuntur; testes autem sunt: Proclus (frg. 104 K. = in Plat. Tim. *E* prooem.), Hermias (frg. 109 K. = in Plat. Phaedr. 247 d, quamquam alio modo his verbis utitur Proclus in frg. 109 K. = in Plat. Tim. 41 a), Damascius (frg. 131 K.).

Multa Noctis erga deos beneficia ab Orphicis commemorantur. Deorum nutrix[1]) nominatur Nox in frg. 106 K., quod a Proclo sine auctore allatum est; sed ita cum Noctis Orphicae vi convenit, ut Orpheo adscribendum esse credam. Similem opinionem exprimunt Alexand. Aphrodis. (frg. 107 K. = in Aristot. Metaphys. *N* 4 1091 b 4 = frg. 111 K.) et Syrianus (frg. 107 K. = in Aristot. Metaphys. *N* 4 1091 b 4), qui eundem versum ex Rhapsodiis profert.

Deinde Nox Saturnum nutrit, cuius rei testes sunt Damascius (frg. 129 K. = De princ. 67, frg. 131 K.) et Proclus (frg. 129 K. = in Plat. Crat. 396 bc):

ἐκ πάντων δὲ Κρόνον Νὺξ ἔτρεφεν ἠδ' ἀτίταλλεν

cuius versus auctor Th. v. 480 extremam partem

. . . τραφέμεν ἀτιταλλέμεναί τε

paululum mutavit.

Perspicuum igitur est, quantum distet[2]) Nox Orphica a Nocte Hesiodea; nam apud Hesiodum Nox austeris tantum coloribus induta est et horribilem speciem praebet; haec enim tenebras significat et partus haud absimiles ei attribuuntur neque quicquam cum Orphicorum Nocte commune habet nisi nomen; appellatur *μέλαινα* (vv. 20, 123, 481, 788), *δνοφερή* (v. 107), *ἐρεβεννή* (vv. 213, 744), *ὀλοή* (vv. 224, 757), *δεινή* (v. 744), *νεφέλῃ κεκαλυμμένη ἠεροειδεῖ* (v. 757), *ἐρεμνή* (v. 758) et habitat in Tartaro *ἐν οἰκίᾳ δεινῇ νεφέλῃς κεκαλυμμένη κυανέῃσιν* (v. 745). In Rhapsodiis et haec et similia epitheta nus-

---

Agl. I, p. 405 n. p.; Kernium, Herm. XXIV 1899, p. 498 sq., quem refutavit Gruppeus, Jahrb. Suppl., p. 730—733.

[1]) Cf. hymn. Orph. III v. 1: **θεῶν γενέτειραν ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.** V. p. 79 n. 3.

[2]) Permira et prorsus improbabilis mihi videtur Weizsaeckeri sententia, qui pronuntiat (lex. myth. a Roschero ed. III 1, p. 572): „Ähnlich der hesiodischen ist die orphische Auffassung der Nyx".

quam[1]) inveniuntur praeter illum Malalae locum (frg. 65 K.). Hic Nox ζοφερά appellatur, quo cognomine in Theogoniae Hesiodeae v. 814 Chaos cognominatur; sed Malalam hic alia Orphica theogonia usum esse vel theogoniam secundum alia dogmata diffictam rettulisse vel complurium theogoniarum sententias in unum miscuisse iam supra[2]) monui.

Audimus nunc ex Malala apud Orpheum Noctem omnia, quae sub Aethere fuerint, cooperuisse. Similem opinionem exprimit Th. Hes. v. 127:

. . . *ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτοι*

Terra gignit Uranum, ut ipsam totam obtegat.

Sed in Hesiodi quoque Theogonia figura quaedam nobis occurrit, quae per totum carmen maxima est auctoritate; ea est, per quam omnes res geruntur; dico Terram. Orphici nunc Noctem pro Terra substituerunt; qui hoc demonstrant locos in uno conspectu ponam:

Hesiodus:	Orpheus:
Iuppiter a Terra educatur: v. 480.	Saturnus a Nocte educatur: frg. 129 K. (= Procl. in Plat. Crat. 396 b c et Damasc. De princ. 67), frg. 131 K.
In Terrae antro Iuppiter nutritur: v. 483.	In Noctis specu Iuppiter nutritur: frg. 105 K.
Terrae dolo coactus Saturnus omnes, quos devoraverat, liberos evomit: vv. 494 sq.	Nox Iovem docet, quo modo patrem inebriet et vinciat, quod consilium Iovem secutum esse comperimus: frg. 154 K. (= Porphyr. De antro nymphar. 16).

---

[1]) Sed observandum est in aliis Orphei carminibus serioris aetatis Noctem non diversam fuisse a dea Hesiodea. Cf. frg. 300 K. (*μέλαινα*), hymn. Orph. III v. 3 (*κυανανγής*), VII v. 3 (*μέλαινα*), LIX v. 1 (*μέλαινα*). Sed notum est hymnos Orphicos a theogonia Orphica discrepare, quam ob rem eos consulto praetereo. Cf. p. 92 n. 1, 99 n. 1; Gruppeum, Jahrb. Suppl., p. 728 sq.

[2]) Cf. p. 73 et n. 1.

Hesiodus:	Orpheus:
Victoria a dis reportata Iuppiter a ceteris dis rex factus est secundum Terrae vaticinium: vv. 465, 627, 883.	Nox Iovis victoriam vaticinatur: frg. 107 K. (= Syrian. in Aristot. Metaphys. *N* 4 1091 b 4).

v. 883 *βασιλευέμεν ἀθανάτων* = frg. 107 *βασιλῆα ἀθανάτων*

Dei de Terrae consilio regem sibi praeesse volunt Iovem, qui mox honores iis scite distribuit: vv. 884 sqq.	Iuppiter regno potitus Nocte in consilium adhibita mundi fabricam instaurat: frg. 82 K. (= Procl. in Plat. Tim. 39 e; cf. frg. 167 = Procl. in Plat. Tim. 29 a: *ἐπιπηδᾶν καὶ καταπίνειν*), frg. 155 K. (= Procl. in Plat. Crat. 391 a)[1], frg. 164 K. (= Procl. in Plat. Tim. *B* prooem.), frg. 165 K. (= Procl. in Plat. Tim. 28 c = frg. 168 K.), frg. 167 K. (= Procl. in Plat. Tim. 29 a).

Ex frg. 104 K. (= Procl. in Plat. Tim. *E* prooem.) Noctem ex occulto vim vitalem eduxisse audimus. Etiam apud Hesiodum Terram rursus pro Nocte substitutam almam appellari reminisceris; attribuit enim ei poeta cognomen *φερέσβιον* in v. 693.

Persaepe occurrunt in Rhapsodiis Noctis et praecepta et vaticinia quemadmodum apud Hesiodum Terrae vaticinia; testimonia autem reperiuntur in t. 224 v. 28 K., frg. 99 K. (= Herm. in Plat. Phaedr. 247 d)[2], frg. 103 K. (= Herm. in Plat. Phaedr. 247 c; eundem versum laudat Hermias p. 150 et 151 Couvr.),

[1]) Sperno Kruegeri interpretationem (l. l. p. 62), qui de hoc loco sententias profert falsissimas. Censet enim Noctem Iovem docere *παντα τὰ μέτρα τῆς ὅλης δημιουργίας*. Sed Saturnum hic intellegendum esse puto; quae sententia astruitur verbis ipsis p. 27, 21 Pasqu. iteratis: *ὁ μέγιστος Κρόνος ἄνωθεν τὰς τῶν νοήσεων ἀρχὰς ἐνδίδωσι τῷ δημιουργῷ καὶ ἐπιστατεῖ τῆς ὅλης δημιουργίας*.

[2]) Cf. p. 79 adn. 2.

frg. 105 K., frg. 107 K. (= Syrian. in Aristot. Metaphys. *N* 4 1091 b 4), frg. 144 K., frg. 155 K. (= Procl. in Plat. Crat. 391 a), frg. 160 K. (= Procl. in Plat. Tim. 28 c), frg. 164 K. (= Procl. in Plat. Tim. *B* prooem.), frg. 165 K. (= Procl. in Plat. Tim. 28 c = frg. 168 K.), frg. 166 K. (= Procl. in Plat. Tim. 31 c).

Phanes Noctem reginam post se instituit et ei sceptrum tradit: frg. 101 K.: *καὶ γὰρ ἡ Νὺξ παρ' ἑκόντος αὐτὸ λαμβάνει τοῦ Φάνητος·*

. . . σκῆπτρον δ' ἀριδείκετον εἷο χέρεσσιν
θῆκε θεᾶς Νυκτός, ⟨ἵν' ἔχῃ⟩ βασιληΐδα τιμήν

cuius versus ultimas voces Orpheus ex Hes. Th. v. 462 (892) hausit.

Eandem opinionem exprimit frg. 102 K. (= Alexand. Aphrodis. in Aristot. Metaphys. *N* 4 1091 b 4 = frg. 107 K.): *μεθ' ὃν Νὺξ·*

σκῆπτρον ἔχουσ' ἐν χερσὶν ἀριπρεπὲς Ἠρικεπαίου

quem versum etiam Syrianus (frg. 102 K. = in Aristot. Metaphys. *N* 4 1091 b 4 = frg. 107 K.) affert.

Generantur a Nocte, postquam Phaneti nupsit, Terra atque Uranus.

De Terra.

Inter rerum primordia Terra in Rhapsodiis non invenitur. Prorsum diversa est ab his ea theogonia, quam usurpat Argonauticorum auctor in vv. 421 sqq. Iam supra (p. 69) vidimus hanc theogoniam a Chao initium cepisse; porro animadvertimus (p. 78) Amorem inter rerum principia hic non defuisse. Accedit nunc, quod a Terra quoque hoc carmen in exponendo rerum omnium ortu exordiebatur. Statuebat igitur primordia huius theogoniae auctor Chaos Terram Amorem. Sed quid? En habemus hic genuinum Theogoniae Hesiodeae initium. Atque etiam verba ipsa ex Hesiodo manant; nam Arg. v. 423:

γῆς τ' εὐρυστέρνου γένεσιν πυθμένας τε θαλάσσης

Th. v. 117 verba priora litterula *τ'* addita in genetivum conversa iterat; posterior autem pars eandem clausulam ac Th. vv. 932—933 sed singulari numero in pluralem mutato exhibet.

Minime discrepat ab Hesiodo in hoc loco Terrae tribuendo Ap. Rh. I v. 496 et Eudemi et Hieronymi theogonia; nam cum in illa Terram inter principia rerum inveniamus (frg. 28aK. = Ioann. Lyd. De mens. II 8 = frg. 310K.)[1]), haec ab aqua et limo incipit; auctor igitur pro Chao Hesiodeo aquam, pro terra limum substituit. Si Damascio (frg. 54K.) credimus, iam initio de Terra dictum erat (ἐξ ἧς ἐπάγη ἡ γῆ). Sed hoc loco Damascium erravisse suspicor; nam apud Athenagoram (frg. 57K.) legimus ovum ab Hercule procreatum, eoque rupto ex superiore parte Uranum, ex inferiore Terram factam esse; quae sententiae compositae videntur esse secundum Hes. Th. v. 126:

Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀστερόενθ' . . .

Contra in Rhapsodiis differt ab Hesiodo Terrae Uranique procreatio: nam cum apud poetam Ascraeum post Chaos Terra prodeat ac deinde ex semet ipsa Uranum pariat, Orphicae theogoniae auctor Noctem Urani Terraeque genetricem fecit: frg. 109K. (= Herm. in Plat. Phaedr. 247 d): . . . *καὶ ταῦτα πάντα μένει ἐν τῇ Νυκτί·*

ἣ δὲ πάλιν Γαῖάν τε καὶ Οὐρανὸν εὐρὺν ἔτικτε·

hunc versum poeta aperte ad exemplum Th. v. 45 (702):

ἐξ ἀρχῆς, οὓς Γαῖα καὶ Οὐρανὸς εὐρὺς ἔτικτεν

composuit; mediam autem partem ex Th. v. 470 (cf. vv. 147, 154, 421, 427, 463, 644):

τοὺς αὐτῆς, Γαῖάν τε καὶ Οὐρανὸν ἀστερόεντα

hausit.

Uranum matrimonium inire cum Terra sorore utrique poetae commune est; perspicitur ex frg. 112K. (= Procl. in Plat. Tim. 40e) in Rhapsodiis has nuptias primas fuisse, quam sententiam etiam Hesiodus praebet; nam in vv. 132—133 verbis *ἄτερ φιλότητος ἐφιμέρου* opponitur vox *εὐνηθεῖσα* ad primum concubitum spectans. Cf. frg. 132K. (= Procl. in Plat. Tim. 18c).

---

[1]) Cf. Zellerum, Kleine Schriften II, Berol. 1910 (= Kl. Schr. II), p. 153 et n. 4; Phil. d. Gr. I 1[6], p. 124 n. 2.

Communia porro utrique poetae sunt Centimanorum et Cyclopum nomina ortusque ex Urano et Terra (frg. 57 K.), praeterquam quod apud Hesiodum Cyclopes priores, Centimani posteriores nascuntur; proprium autem Orphei est, quod iisdem parentibus Parcae procreantur (frg. 57 K.), quae in Hesiodi Theogonia et Noctis (vv. 217 sqq.) et Iovis ex Themide (v. 904) filiae sunt.

Iam ut apud Hesiodum sic apud Orpheum Terra Titanum mater est (frg. 57 K., frg. 114 K. = Procl. in Plat. Tim. 40e); sed distat Orpheus primum de numero, deinde in eo quod Terra Titanes sine concubitu[1]) procreat ita ut Apollodori quoque narratio eodem loco a Theogonia Hesiodea diversa est. Constat in Orphica theogonia Uranum Centimanos solos et Cyclopes inclusisse neque in lucem prodire passum esse, quorum solvendorum causa deinde Titanes a Terra generantur. Sin autem Centimani tantum atque Cyclopes in Tartari visceribus absconduntur, quaestio oritur, cur omnino haec monstra deiciantur. Nam cum Saturnus solus patrem de regno depulsurus sit, ab illis Urano nullum periculum intentatur. Quam dissensionem ut tollat, Orpheus dicit (frg. 57 K.): *ἐκπεσεῖσθαι αὐτὸν ὑπὸ* **τῶν παίδων τῆς ἀρχῆς** *μαθών*. Causa autem exsecandi in antiquissima fabula erat haec, ut finis generationibus in immensum crescentibus statueretur; quae causa iam apud Orpheum obscuratur[2]); nam Titanes a Terra maritum suum exosa in Urani ultionem creatos esse narrat (frg. 57 K.), quam ob rem etiam Titanum nomen hic alio modo derivatur atque in Th. Hes. v. 209.

Terram clam Urano Titanes parere testatur Proclus (frg. 114 K. = in Plat. Tim. 40e): *τίκτει γὰρ ἡ Γῆ λαθοῦσα τὸν Οὐρανόν* . . .; simili modo apud Hesiodum Terra Saturnum arcano in insidiis collocat atque occultat et Rhea Saturni saevitiam timens Iovem latenter procreat in v. 471:

μῆτιν συμφράσσασθαι, ὅπως λελάθοιτο τεκοῦσα

Apud Hesiodum Terra non solum cum Urano concumbit, sed etiam cum Ponto; enumeratur post Noctis stirpem Ponti

---

[1]) Discrepat ab hac genealogia frg. 128 K., ubi Uranus Saturni pater dicitur.

[2]) Cf. p. 23 n. 3.

e Terra progenies, filii tres, Nereus Thaumas Phorcus, filiae duae Ceto et Eurybia.

Num etiam Orphici hos deos commemoraverint, in incerto est. Agitur in frg. 117K. de illa Platonis[1]) genealogia, ex qua Phorcus Saturnus Rhea, qui apud Orpheum Oceani et Tethyos fratres sunt, horum liberi dicuntur, et explicantur verba Platonis *τούτων δὲ Φόρκυς Κρόνος τε καὶ Ῥέα καὶ ὅσοι μετὰ τούτων*.

Proclus argutias quaerit, ut Platonem recte dixisse probet. Denique multis verbis habitis Oceanum et Tethyn Phorci parentes pro veris substituit. Cuius propositi causa genealogiam Hesiodeam sequitur: *αὕτη γὰρ αὐτὸν παράγει Πόντου φιλότητι μιγεῖσα μετὰ Νηρέως καὶ Θαύμαντος· οὐ γάρ ἐστιν ὁ Φόρκυς Οὐρανίδης, ἀλλὰ ὁ Φόρκυς* ⟨*ὁ Πόντιος* Diehl⟩, *ὡς ἔστι δῆλον ἐκ τῆς Θεογονίας. καθ' ὅσον ἡ Τηθὺς τῆς Γῆς ἐστι πλήρης, κατὰ τοσοῦτον . . .*: voce *αὕτη* significatur Terra; nam hoc pronomen ad verba antecedentia *μετ' αὐτῆς* spectat, in quibus nulla alia persona nisi illa *μήτηρ*, de qua paulo ante Proclus locutus est, intellegi potest. Tethys aliis causis omissis iam propterea quod Oceani uxor est, non Ponti voce *αὕτη* esse designata non potest. Deinde ex nominibus *Νηρέως καὶ Θαύμαντος* elucet voce *αὕτη* Terram esse significatam. Nam hi dei Terrae liberi sunt. An putas hos quoque Tethyos liberos esse? Non necessarium mihi videtur, verba *ὁ Πόντιος* adiungere propterea quod Proclus vocibus *ὡς ἔστι δῆλον ἐκ τῆς Θεογονίας* satis dilucide eam, quam intellexit, genealogiam expressit. Lobeckius[2]) hunc locum Orpheo tribuit, quia illud *Πόντου φιλότητι μιγεῖσα* apud Hesiodum non legeretur. Nihil autem obstat, quominus aut voces *Πόντου φιλότητι μιγεῖσα* ipsius Procli verba esse aut Proclum Hesiodi clausulam *φιλότητι μιγεῖσα* (vv. 125, 333, 375, 920, 927) quasi in auribus habuisse opinemur.

Ex hoc igitur loco non perspicitur, num in theogonia Orphica sermo fuerit de Nereo Thaumante Phorco.

Legis apud eundem auctore non allato (frg. 114K. = in Plat. Tim. 40e): *ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων . . . ἔοικε τὸ*

---

[1]) Tim. 40e.

[2]) Agl. I, p. 510.

„ὅσοι μετὰ τούτων“ δηλοῦν τούς τε λοιποὺς Τιτᾶνας . . . Hic Proclus verbo ἔοικε utitur; ex quo colligimus ipsum de theogonia illa, ad quam verba ὅσοι μετὰ τούτων spectant, nihil certius habuisse. Fortasse omnino nesciebat, quam theogoniam Plato intellexisset. Itaque Proclum etiam priore loco Hesiodi solum theogoniam intellexisse puto.

Ex Procli igitur locis num in Rhapsodiis vel alia theogonia Orphica Nereus Thaumas Eurybia Tethyos liberi commemorati fuerint minime elucet. Habemus tantum confitentem ipsum Proclum se Hesiodea induxisse, atque certo scimus apud Orpheum Phorcum fuisse inter Titanes (cf. frg. 114K. = Procl. in Plat. Tim. 40e).

Restat, ut in Platonis ipsius locum inquiramus (Tim. 40de): . . . *πειστέον δὲ τοῖς εἰρηκόσιν ἔμπροσθεν, ἐκγόνοις μὲν θεῶν οὖσιν, ὡς ἔφασαν, σαφῶς δέ που τούς γε αὑτῶν προγόνους εἰδόσιν·* . . . *οὕτως οὖν κατ' ἐκείνους ἡμῖν ἡ γένεσις περὶ τούτων τῶν θεῶν ἐχέτω καὶ λεγέσθω. Γῆς τε καὶ Οὐρανοῦ παῖδες Ὠκεανός τε καὶ Τηθὺς ἐγενέσθην, τούτων δὲ Φόρκυς* . . . quem ad locum Chalcidius 127 p. 192 Wro. (Platonis Timaeus) haec subnotat: „simul exponit ea, quae Orpheus et Linus et Musaeus de divinis potestatibus vaticinati sunt . . .“ Num Plato hoc loco Musaeum intellexerit, non satis constat propter illud Pausaniae (I 14, 3): *ἔπη δὲ ἄδεται Μουσαίου μέν, εἰ δὴ Μουσαίου καὶ ταῦτα, Τριπτόλεμον παῖδα Ὠκεανοῦ καὶ Γῆς εἶναι*[1]), quamquam haec verba meo iudicio non impediunt, quominus progenies illa a Platone adhibita apud Musaeum lecta sit. De Lino non multum scimus. Restat alia theogonia Orphica, ubi Oceanus et Tethys Titanum parentes habiti fuerunt[2]). Utut est, Rhapsodiis hic locus adscribi non potest.

---

[1]) Frg. 11 p. 226 Ki. (Epic. Gr. frg. I); frg. 14 p. 12 Kern, quem locum ex nullo alio carmine fluxisse nisi ex Eumolpia (cf. p. 4, 6) non intellego (cf. Gruppeum, Jahrb. Suppl., p. 703; Dielesium, philosoph. ante Socr. vivent. frg. ed. I[5], p. 24, 14; Kernium, Die Religion der Griechen II, Berol. 1935 [= Rel. d. Gr. II], p. 174); frg. 10 p. 24 Diels (Die Fragmente der Vorsokratiker I[5]).

[2]) Cf. Schusterum, l. l. p. 6—9, 25; Gruppeum, Jahrb. Suppl., p. 702; Susemihlium, l. l. p. 17; Zellerum, Phil. d. Gr. I 1[6], p. 123 n. 2. Sed eam, quam intellegit Plato, theogoniam in Orphicis habendam esse theogoniis mihi ex voce *δημιουργός* (41 a) elucere videtur.

Ex Urani genitalium sanguine a Terra coniuge excepto Gigantes natos esse Hesiodus narrat. Orphicos autem hanc fabulam deprompsisse docent duo versus, quos Etymol. M. affert (frg. 63 K.). Unde intellegitur etiam apud Orpheum Terram Gigantum matrem fuisse. Porro cum in v. 2 Gigantes ex sanguine Urani prognatos esse legamus, vix dubitari potest, quin etiam apud Orpheum Terra stillantes guttas gremio exceperit; unde videmus, quantopere Orphici cum Hesiodo congruant.

Rursus consentit theogonia Orphica cum Hesiodo in eo quod Terra Titanes contra patrem concitat (Procl. in Plat. Tim. 40e; III p. 185 Diehl[1]): *οἱ δὲ ἄλλοι προόδῳ χαίροντες τῆς μὲν Γῆς τὴν βούλησιν ἀποπληροῦν λέγονται, τῷ πατρὶ δὲ ἐπιβουλεύειν διαιροῦντες* . . ., frg. 135 K.).

Atque de Terrae situ Orphicos amplius meditatos esse quam Hesiodum patet ex frg. 65 K.[2]). Etiam cosmogonicam significationem ut solent ei asseruerunt: frg. 109 K. (= Procl. in Plat. Tim. 41a).

In Hes. Th. v. 878 Terrae cognomen *ἀπείριτος* tribuitur; idem saepe exstat apud Orphicos: t. 224 v. 20 K., frg. 91 v. 1 K. (= Procl. in Plat. Tim. 32b), frg. 165 v. 3 K. (= Procl. in Plat. Tim. 28c), quibus in versibus omnibus verborum conexio *γαῖαν ἀπείριτον* (t. 224 v. 20 K. *κατὰ γαῖαν ἀπείριτον*) eandem versus mediam partem complet quam Th. Hes. in v. 878:

αἳ δ' αὖ καὶ κατὰ γαῖαν ἀπείριτον ἀνθεμόεσσαν

Proximi autem fragmenti versus 4 posterior pars:

. . . *τά τ' οὐρανὸς ἐστεφάνωται*

eodem versus loco iam Th. Hes. in v. 382 legitur.

Deinde huc pertinet frg. 223 K. Sed admodum incertum est, num hic locus ex Rhapsodiis prodierit[3]). Ideo ne afferre quidem illud fragmentum ausus essem, nisi antecedenti loco (p. 338, 10—11 Kr.: *τῆς Ὀρφικῆς θεολογίας*) collato commoverer. Cuius fragmenti v. 8:

γαίης ἐς κευθμῶνα πελώριον

---

1) Desidero hunc locum apud Kernium.

2) Cf. p. 73 et n. 1.

3) C. Dieterichium, Nekyia², p. 135.

Th. Hes. v. 158 verba priora *Γαίης ἐν κευθμῶνι* praepositione *ἐς* pro *ἐν* scripta praebet. Epitheton *πελώρη* Terrae attributum saepe apud Hesiodum occurrit (vv. 159, 173, 479, 505, 731, 821, 858, 861); atque etiam voce *κευθμών* poeta Ascraeus ad Terram describendam passim utitur (vv. 158, 300, 334, 483, 505); similia verba atque in Orphei versu inveniuntur in Th. Hes. v. 505:

. . . *πελώρη Γαῖα κεκεύθει.*

In v. 5 avium animas volitare per auras narratur, donec ventus eas in nova corpora ferat. Sine ullo dubio Orphicus hic Hes. Th. v. 268 ante oculos habuit; nam et hic et illic aves atque ventorum flamina commemorantur. Imitatio eo magis elucet, quia v. 5:

ἄλλο ἀφαρπάζῃ μίγδην ἀνέμοιο πνοῇσιν

posterior pars *ἀνέμοιο πνοῇσιν* numero singulari posito pro plurali cum Th. Hes. v. 268 concinit.

Denique in frg. 168 v. 27 K.[1]) (= Porphyr. ap. Euseb. Praep. ev. III 9) Terra *παμμήτωρ* cognominatur.

De Urano.

Neque etiam Uranus inter rerum primordia usquam invenitur nisi apud Ap. Rh. I v. 496 et in Eudemi theogonia[2]) et in Orph. Arg. v. 422. Ceterum de Urani ortu, matrimonio, liberis Centimanis Cyclopibus Parcis Gigantibus cf., quae supra p. 83, 84, 85, 88 dixi. Etiam Saturni pater Uranus appellatur in frg. 128 K. ab aliis locis (frg. 57 K., frg. 114 K. = Procl. in Plat. Tim. 40e) hac in re discrepanti. Ad Uranum Gigantum patrem spectat porro Orph. Arg. v. 18, quo loco Gigantes ex Urani semine prognatos esse legimus. Denique Venerem e castrati Urani semine in mare effuso natam Orpheus pariter cum Hesiodo cecinit (frg. 127 K.).

Uranus, qui post Noctem rex factus est, Centimanos atque Cyclopes quemadmodum etiam Hesiodus narrat in Tartarum deicit, quia eos se regno spoliaturos esse comperit: testes

---

[1]) Cf. p. 77 n. 1; quam ob rem non miror eundem sensum, qui carminibus nonnullis recentioribus subest (cf. frg. 302 K., hymn. Orph. XXVI v. 1), etiam hoc loco expressum esse.

[2]) Cf. p. 84 n. 1.

autem sunt Athenagoras (frg. 57 K., frg. 58 K.) et Proclus (frg. 121 K.): *ὡς γὰρ ἐνόησε, φησίν, αὐτοὺς ὁ Οὐρανὸς*

. . . ἀμείλιχον ἦτορ ἔχοντας
καὶ φύσιν ἐκνομίην . . .
ῥῖψε βαθὺν γαίης ἐς Τάρταρον . . .

quod fragmentum non solum eandem opinionem quam Th. Hes. v. 868 exprimit, sed etiam nonnulla loci Hesiodei verba iterat. Contra Titanes non includuntur[1]).

Uranus exsecatur, genitalia in mare abiciuntur, Venus exoritur; omnes autem has narrationes Orpheus pariter cum Hesiodo habet; quin etiam in eo Orpheus cum Hesiodo conspirare videtur, quod Uranus tum ipsum a filio castratur, cum concubitum appetens ad Terram venit, nisi Porphyrius hoc loco (frg. 154 K. = De antro nymphar. 16) Hesiodea Orphicis immiscet.

Num in Rhapsodiis ita ut apud Hesiodum Uranus liberos devoverit, in suspenso relinquendum est; nam incertum est, utrum ea verba, quae in frg. 120 K. leguntur, Urani verba filios devoventis sint an Iovis verba post Bacchi necem facta[2]). Proclus hoc loco de titanomachia loquitur simulatque Iovem contra Titanes pugnantem his vocibus usum esse. Sed primum in ambiguo est, num omnino titanomachia in Rhapsodiis descripta fuerit; deinde etiamsi Rhapsodiarum auctor certamen inter Titanes deosque commissum commemoravisset, hoc proelium haudquaquam fuisset eorum scelerum, quae Graeci vocibus *ὕβρις* et *ἀτασθαλίη* significabant. Quibus ascitis ex titanomachiae descriptione hunc locum sumptum esse vix posse constat.

Ad Urani evirationem haec verba spectare videntur propter vocem *ἀτασθαλίη*, qua ad eandem malitiam describendam poeta utitur in frg. 135 K. Hesiodum secutus, qui etiam Ti-

---

[1]) Mirum est Rohdeum, Psyche II $^{9+10}$, Tub. 1925 (= Psyche II $^{9+10}$), p. 116 n. 2 tam perverse hac in re iudicasse. Nam poetam in frg. 121 K. Centimanos tantum et Cyclopes intellexisse e vocibus *αἱ δύο πρῶται τριάδες* sine ullo dubio elucet.

[2]) Kruegerus (l. l. p. 50) frg. 119 K. et frg. 120 K. ad Bacchi caedem pertinere sine iusta causa pronuntiat surripiens has sententias ab A. E. I. Holwerda, l. l. p. 366.

tanum scelus nominat ἀτασθαλίην (v. 209). Sed quamquam omnes Titanes praeter Oceanum patrem aggrediuntur, tamen Saturnus solus ceteris reformidantibus patrem castrat, cum illa verba in frg. 120K. exstantia pluralis numeri causa ad omnes Titanes spectent. Quibus cognitis ad quod facinus hae voces pertineant, disceptare non possumus et satis habemus horum versuum fontem eruisse; nam hic locus

καὶ κρατεροί περ ἐόντες ἀμείνονος ἀντιάσαντες
ὕβριος ἀντ' ὀλοῆς καὶ ἀτασθαλίης ὑπερόπλου

compositus est ex Hes. Th. vv. 516 et 670; in versu altero Orphici in loco vocis Hesiodeae (v. 516) ἠνορέης posuerunt ἀτασθαλίης e priore versus parte.

Audimus ex Proclo (frg. 117K.) Saturnum et Rheam Uranum patrem de Olympo deiecisse; quid hoc sibi vult? Non apte haec verba quadrare videntur in Rhapsodias. Nescio, utrum Proclus hic consulto falsa referat, ut propositum suum assequatur, i. e. ut artissima exsistat coniunctio Urani cum Oceano, an eodem carmine vel theogonia, quam etiam Apollonius (I v. 506) depeculatur, hoc loco usus sit. Nam affert haec fabula nobis memoriam illius Apollonii narrationis, ex qua Ophion[1]) a Saturno et Rhea in Oceanum recedere cogitur.

Etiam Uranum Orphici specie cosmogonica induerunt: frg. 109K. (= Procl. in Plat. Tim. 41a).

Imponuntur Urano cognomina ἀστερόεις (frg. 21a v. 3K. = Ps.-Aristot. *Περὶ κόσμου* 7 401 a 25, frg. 57 v. 3K., frg. 168 v. 4K. = Porphyr. ap. Euseb. Praep. ev. III 9), μέγας (frg. 57 v. 3K.), εὐρύς (frg. 109 v. 1K. = Herm. in Plat. Phaedr. 247d), quae epitheta saepe apud Hesiodum occurrunt. Frg. 21a v. 3K. (= Ps.-Aristot. *Περὶ κόσμου* 7 401a 25) alterum hemistichium

. . . γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος

(quod idem est atque in frg. 168 v. 4K. = Porphyr. ap. Euseb. Praep. ev. III 9) auctor ex Hes. Th. v. 463 (106, 470, 737, 808, 891) hausit. Media autem versus pars etiam Th. Hes. in

---

1) Cf. Pherecyd. frg. 4 p. 49 Diels (Die Fragmente der Vorsokratiker I⁵); Kernium, De theog., p. 61; Wilamowitzium, Der Glaube der Hellenen II, Berol. 1932, p. 200.

vv. 147, 154, 421, 427, 644 legitur. Apud Damascium (frg. 113 K.) adduntur Urano cognomina *οὖρος πάντων καὶ φύλαξ*, quod etymon ipsius Orphei videtur esse.

De Montibus.

In Hesiodi Theogonia Terra praeter Uranum Montes ex sese parit, de quibus ex Orphicis nihil memoratum invenio nisi Ap. Rh. I v. 501. Quo loco poeta, quemadmodum terra caelum mare stellae luna sol orta sint, simili ratione atque in Rhapsodiarum frg. 65 K. Orpheum inducens canentem certe Hes. Th. vv. 108 sqq. ante oculos videtur habuisse et in v. 496 prioribus vocibus exceptis eadem verba

... *γαῖα καὶ οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα*

atque Hes. Th. in v. 427 (847) casu converso praebet; media versus pars etiam in Hes. Th. vv. 45, 702 exstat; deinde in vv. 501 sq. item atque Hesiodus in Th. vv. 129 sq. de montium origine loquitur, qua in re statim nympharum mentionem facit (cf. Hes. Th. v. 130).

De Titanibus.

Nascuntur Titanes a Terra sola sine concubitu ut supra p. 85 exposui[1]). Dissentit autem Orpheus in Titanum numero: nam cum apud Hesiodum sex mares sint totidemque feminae, apud Orpheum Titanibus Phorcus, Titanidibus Diona addita est, quorum ille in Hesiodi Theogonia Ponti et Terrae filius est (v. 237), haec Oceani filia ex Tethye (v. 353)[2]). Proclus utriusque sexus septenos Titanes intellegit (in Plat. Tim. 40 e; III p. 185 Diehl[3]): *τῶν δύο Τιτανικῶν ἑβδομάδων*), unde colligam etiam Orpheum ita ut Hesiodum his tantum deis nomen Titanum dedisse. Vero eorum nomina nobis tradita sunt in frg. 114 K. (= Procl. in Plat. Tim. 40 e), quibus versibus plane Hes. Th. vv. 133 sq., 135 sq. exemplo fuerunt, praesertim cum

---

[1]) Discrepat ab hac Titanum genealogia hymn. Orph. XXXVII v. 1. Cf. p. 81 n. 1.

[2]) Mirum in modum Andresius (De Hesiodi Theogoniae apud veteres memoria, diss. Hal. 1925, p. 146) nomen *Διώνη* in Hesiodi Theogonia inveniri negat. Cf. schol. ad Th. v. 17 p. 210 Flach.

[3]) Non legis hunc locum apud Kernium.

v. 7 prior pars *Κοῖόν τε Κρῖόν τε* eadem sit ac Th. v. 134 et v. 8 posterior *θ' Ὑπερίονά τ' Ἰαπετόν τε* eadem ac Th. v. 134.

Vocati sunt Titanes apud Hesiodum a *τιταίνω* (v. 209), apud Orpheum a *τίνομαι* (frg. 57 v. 3 K.), quamquam Hesiodus quoque hoc verbo utitur ad idem facinus describendum (v. 165). Frg. 57 K. versus medius

οὓς δὴ καὶ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέουσιν

maximam in partem cum Hes. Th. v. 207 congruit; apud Orpheum autem persona verbi alia est atque Th. in v. 207. Deinde Orpheus statim quemadmodum Hesiodus (v. 209) in sequenti versu Titanum nomen interpretatur. Sed Orpheus hanc appellationem ilico Titanum ortu descripto explanat. Contra in Hesiodi Theogonia multo post hoc nomen explicatur; nam Titanes introducuntur in vv. 133 sqq.; deinde autem sequuntur Cyclopes, Centimani, Titanum scelus, Veneris natales; denique poeta ad Titanes revertitur; itaque hic transitus abruptior est quam apud Orpheum et coniunctio sententiarum melior est et apertior in Orphica theogonia.

De Titanum facinore contra Uranum commisso iam supra p. 90 tractavi.

Iuppiter Phanete devorato mundum instaurat; omnes autem deos iterum parit, inter eos etiam Titanes: frg. 210 K. (= Damasc. De princ. 94). Postea Titanes Bacchum adoriuntur et a Iove multantur. Quae narratio Orphicis propria est. Sed mirum est, quod apud Orphicos Iuppiter eadem via atque ratione ad Titanes puniendos utitur, quam Hesiodus adhibuit: Iovis fulmine percutiuntur: frg. 210 K. (= Plutarch. De esu carn. I 996 c), frg. 220 K. In Hesiodi Theogonia Iovem fulgura de caelo atque Olympo in Titanes mittere docent versus 690, 699, 707. Unde perspicitur, quantopere Orphici ab Hesiodo pendeant. Menoetium quoque ac Typhonem Iuppiter fulminis ictu ferit (vv. 515, 859).

Vestigia Theogoniae Hesiodeae non leviter impressa sunt in ratione, qua Titanes ab Orphicis descripti sunt. Hi enim colorem duxerunt ex Hesiodi Gigantibus ac Titanibus, qui appellantur *κρατεροί* (v. 50), *μεγάλοι, τεύχεσι λαμπόμενοι, δολίχ' ἔγχεα χερσὶν ἔχοντες* (vv. 185 sq.), *δεινότατοι* (v. 155), *τιταίνοντες*

ἀτασθαλίῃ μέγα ῥέξαι ἔργον (v. 209), *ὑπέρθυμοι* (v. 719). Eandem vim Titanibus inesse in theogonia Orphica docent frg. 119 K.

Τιτῆνες κακομῆται, ὑπέρβιον ἦτορ ἔχοντες

cuius versus alterum hemistichium idem est atque in Hes. Th. v. 139, praeterquam quod Hesiodus hoc loco alia intellegit monstra, frg. 120 K. Simili modo Titanes discripti sunt in frg. 208 K. (= Olympiodor. in Plat. Phaedon. B δ'), frg. 214 K. (= Himer. Or. IX 4), frg. 221 K.

Insidiis igitur ac dolo Titanes tentant Bacchum; etiam hac in re Orphicos ab Hesiodo pendere intelleges, si quo modo Titanes Uranum aggressi sint memineris (vv. 174 sqq.).

Apollonius (I v. 507) Titanes appellat *θεοὺς Τιτᾶνας*, quibus vocibus inter se coniunctis poeta Ascraeus semper hos deos significat (vv. 630, 648, 668, 729). Nunc quidem Kernius adnotat (Orph. frg. ed., p. 100): „unde Apollonius vv. 503—511 hauserit obscurum". Moneo autem in hac ipsa parte multa verba exstare vel clausulas, quae ex Hesiodi fabrica prodierunt: versus 505 clausula *βίῃ καὶ χερσὶν* eadem est quae Hes. Th. v. 490. In v. 510 vox *ἐκαρτύναντο* eodem versus loco legitur quo Hes. Th. in v. 676. In v. 510 poeta de Cyclopibus verba facit, qua in re v. 511 iisdem a vocabulis *βροντήν τε στερόπην τε* quibus Th. Hes. v. 707 orditur, si casum vocum immutatum esse neglegis. Eiusdem versus posteriorem partem *κῦδος ὀπάζει* auctor ex Hes. Th. v. 438 hausit. Cf., quae de versibus antecedentibus supra p. 92 dixi.

De Centimanis.

Centimanos etiam apud Orpheum Urani et Terrae liberos fuisse iam supra p. 85 disserui. Hi quoque dei illius *δημιουργίας*, de qua Orpheus saepe verba facit, participes sunt; quod perspicitur ex frg. 110 K. (= Herm. in Plat. Phaedr. 247 c). Symbolice igitur atque cosmogonica specie induti in Rhapsodiis Centimani intelleguntur; contra poeta Ascraeus eos dumtaxat nimias et immoderatas naturae vires interpretatur. Neque tamen in theogonia Orphica Centimanorum naturam Hesiodeorum Centimanorum (vv. 147 sqq., 619 sq., 670 sqq.) dissimilem fuisse docet frg. 121 K., cuius v. 1 extrema verba *ἦτορ ἔχοντας* respondent Th. Hes. v. 139 extremis verbis, quamquam Hesiodus Cyclopes tantum intellegit.

De Cyclopibus.

Cyclopum ortum ex Urano et Terra utrique poetae communem esse supra p. 85 ostendi. Quos deos fulguris artifices esse demonstrant frg. 29K. (= Ap. Rh. I v. 511), frg. 179K. (= Procl. in Plat. Tim. 29a et Herm. in Plat. Phaedr. 247c, quem versus a Proclo servatos ante oculos habuisse in propatulo est). Hanc artem iam in Hesiodi Theogonia Cyclopum propriam esse reminiscimur et videmus in hac narratione ab Orphicis ex Hesiodo hausta versum

οἳ Ζηνὶ βροντήν τε πόρον τεῦξάν τε κεραυνόν

uno verbo *πόρον* excepto, quod pro *δόσαν* exstat, totidem vocibus apud Hesiodum (v. 141) legi. V. 3 autem

δαίδαλα πάντ' ἐδίδαξαν, ὅσ' οὐρανὸς ἐντὸς ἐέργει

ultimae voces ex Hes. Th. v. 751 fluxerunt.

Sed Orphici Cyclopum auctoritatem auxerunt: non solum Iovis arma fabricantur, sed etiam Iovem Minervam Vulcanum edocent (frg. 178 K. = Procl. in Plat. Crat. 389 b c, frg. 179 K. = Procl. in Plat. Tim. 29 a et Herm. in Plat. Phaedr. 247 c). Ex iisdem fragmentis patet in Rhapsodiis etiam Cyclopes colore cosmogonico exornatos fuisse. Tamen eos simili indole atque in Th. Hes. (v. 139) praeditos fuisse e frg. 121 K. comperimus. Sed unius, quod superest, testimonii fidem in dubium redigere ausim (frg. 179K. = Herm. in Plat. Phaedr. 247c). Exponit enim, ut omnibus notum est, Hesiodus Cyclopes unum media in fronte oculum habuisse. Num Orphici hanc descriptionem receperint, admodum est incertum; nam Hermiae verba tam plane cum Hes. Th. v. 145 concinunt, ut eum hic Hesiodi verba referre credam. Sane etiam fieri poterat, ut Orphici consulto ad Hesiodi honorem versum illum repeterent.

De Furiis.

Furiis apud Orpheum non eam quam in Theogonia Hesiodea (v. 185) originem, sed matrem Proserpinam patrem Plutonem datos esse accipimus; testantur enim Proclus (frg. 197 K. = in Plat. Crat. 404d) et Ps.-Apuleius (frg. 360K.) eas ex Plutonis et Proserpinae conubio progenitas esse. Contra num in frg. 194K. (= Procl. in Plat. Crat. 404e) et frg. 197K.

priore loco (= Procl. in Plat. Crat. 406b) Furiae intellegendae sint, non satis constat.

De Gigantibus.

Communis utrique poetae est ortus Gigantum, quos ex Urani sanguine prognatos esse docent t. 224 v. 18 K.[1]),

[1]) Kruegerus (l. l. p. 45) hoc loco Titanes intellegit; secum autem pugnat duas proferens diversissimas sententias; secundum alteram (p. 45) Titanes de caelo sanguinem nescioquem stillant; secundum alteram (p. 46) Titanum ipsorum ab Urano vulneratorum sanguis de caelo destillat. Sed irrita est argumentatio, quam Kruegerus subicere vult, quia neutra fabula a Kruegero ficta et commenticia usquam tradita est. Profecto Gigantes designari ostendit etiam alter eiusdem carminis locus (v. 430), ubi poeta memoratis Gigantibus statim adiungit *ἀνθρώπων φύτλην* item ut in Hes. Th. uno prooemii versiculo 50 Musae canentes inducuntur

... *ἀνθρώπων τε γένος κρατερῶν τε Γιγάντων*

(cf. Hermannum, op. II, Lips. 1827, p. 178). Sed porro pergamus! Kruegerus etiam sanguinem semini miscet; dicit enim (p. 45) de „sanguine, ex quo semine genus humanum creatum est". Contra apud Orpheum vox *σπέρμα* tantum legitur, quae significat hic „germen", „originem". Praeterea Titanes a Iove ictu fulminis percussi sanguinem fundere non possunt, sed deflagrare coacti sunt. Etenim scimus homines ex Titanum fuligine exstitisse. Denique in terris Iuppiter hanc *κεραύνωσιν* perficit; ideo fieri non poterat, ut guttae cruentae e caelo deciderent. An putas corpora Titanum fulgure absumpta post illam *κεραύνωσιν* ad caelum exferri? Immo vero poeta Gigantes intellegit, quorum nomen, quia ita ut apud Hesiodum e virilium sanguine in terram sparso enascuntur, in locum „guttarum cadentium" subiectum substituit. Verbum, quod est *στάζομαι*, hic vim intransitivam habet; vocabula *σπέρμα γονῆς* appositionem poeta posuit quemadmodum eandem invenimus Th. Hes. in v. 592 (*πῆμα*); *ὅθεν* ad *σπέρμα γονῆς* referendum est; exstant igitur hae voces *ἀπὸ κοινοῦ* ut dicimus et ad *οἵ* et *ὅθεν γένος ἐξεγένοντο θνητῶν* spectantes. Etiam hac in re Kruegerus sibi discrepat, cum *ὅθεν* ex *σπέρμα γονῆς* pendere non posse primo (p. 45) asseverat, deinde (p. 46) in interpretatione sua expendenda negat. Postremo cum fabulam, secundum quam homines ex Urani semine procreantur, nusquam traditam esse pronuntiat (p. 45), sibi non constat; nam ipse hanc fabulam p. 5, 12, 25, 50 commemorat. Sed quid? Si etiam hac in re Orpheus Hesiodum sequitur? Nam apud poetam Ascraeum homines ex Urani sanguine oriuntur eo quod nymphae Meliae hominum genetrices sunt: in v. 50 Hesiodus una cum

frg. 63 K., cuius auctor in versu altero

οὕνεκα Γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος Οὐρανίοιο

Th. Hes. v. 106 plane ante oculos habuit.

De Nymphis Meliis.

Nymphae ex Orphicis uno loco (Ap. Rh. I v. 502) ut iam apud Hesiodum una cum Montibus marique aestu furenti (vv. 129—131) sic apud Orpheum cum Montibus fluviisque strepentibus copulatae commemorantur.

De Venere.

Consentiunt Orphici cum Hesiodo Venerem ex Urani semine natam esse; habemus enim de Veneris natalibus Procli testimonium in frg. 127 K., qua in fabula Orphicus versus Hesiodeos 188 sqq. imitatur; exorditur hanc narrationem ab iisdem vocibus *μήδεα δ'* atque Hesiodus (v. 188); deinde verba *πέλαγος* (Orph. v. 1 — Hes. v. 190) et *ἀμφὶ δὲ λευκὸς* . . .

Gigantibus homines nuncupat propterea quod utrique *τὸ γηγενές* commune est (homines *γηγενέες* vocantur in frg. 315 K. = Syrian. in Aristot. Metaphys. *M* 4 1078 b 12); in v. 563 Iuppiter iratus ignem impertiri non vult *μελίῃσι*, i. e. *θνητοῖς ἀνθρώποις*, ut poeta in sequenti versu interpretatur; ad v. 187 vocem *Νύμφας* scholiasta adnotat: „*ἐκ τούτων ἦν τὸ πρῶτον γένος τῶν ἀνθρώπων*" (p. 229 Flach); in Op. v. 145 aeneum genus hominum post aurei et argentei interitum e fraxinis (*ἐκ μελιᾶν*) profertur. Cf. Ov. Met. I vv. 156 sqq.; Serv. in Verg. Bucol. VI 41; III p. 71 Thilo; Schoemannum, Hes. Th. ed., p. 115 sq.; Kernium, Rel. d. Gr. II, p. 165 sq. Etiam apud alios populos similes fabulae inveniuntur; v. e. g. Ed. Meyerum, lex. myth. a Roschero ed. I 2, p. 2877. Adminiculatur mea sententia eo quod Orpheus in sequenti versu iisdem verbis *γαῖαν ἀπείριτον* utitur atque Hesiodus eo loco, quem Argonauticorum auctor ante oculos habuit (v. 187); verba autem *ἔργ' ἀΐδηλα* ad gigantomachiam spectare contendere ausim. Mirum etiam et vix credibile mihi videtur Arg. vv. 12—16 ut censet Kruegerus (p. 7) tribuendos esse *Ἱερῷ λόγῳ* Orpheo — Pythagoreo a Kruegero excogitato, de quo rectissime nunc iudicavit Kernius, Rel. d. Gr. II, p. 158 n. 1, cum eiusdem carminis vv. 17 sqq. in *Τελετάς* releget (p. 61); nam duae hae partes inter se coniunctae sunt particula *τέ* atque casus accusativi *γονάς* (v. 17) sequentesque pendent ex verbo *πιφαύσκω* (v. 10). Tota res vacillat et claudicat.

ἀφρός (Orph. vv. 1—2 — Hes. v. 190) ex loco Hesiodeo haurit; voces autem ἀμφὶ δέ et πέλαγος eodem versus loco quo Hesiodus ponit. Nec tamen satis de his; v. 3 vocabula περιπλομέναις . . . Ἐνιαυτός proxime Th. Hes. v. 184 tangunt; denique initium v. 5 γεινομένην τὸ πρῶτον . . . compositum videtur esse secundum Hes. Th. v. 202, ubi verba, de quibus sermo est, rursus versus initio leguntur.

Venus ex mari evadens a Ζῆλος et Ἀπάτη excipitur; similes sententiae expressae sunt apud Hesiodum: in v. 200 Amor et Himerus Venerem comitantur; sectatorum Orphicorum prior in Hesiodi Theogonia Stygis filius est (v. 384), posterior Noctis filia (v. 224); ἐξαπάτας autem, qua ex voce Orpheus Ἀπάτην comitem decerpsit, Venus etiam apud poetam Ascraeum (v. 205) hominibus intendit.

Audimus nunc ex Proclo (frg. 127 K., frg. 183 K.) esse secundum Orpheum duplicem Venerem, alteram Urani, alteram Iovis filiam. Iuppiter enim post Phanetis cataposin mundum omnesque deos denuo creat, inter eos etiam Venerem. Sed in hac quoque fabula multa exstant, quae cum Hesiodo concinunt: Iuppiter Dionam amplexurus semen in mare effundit, cuius narrationis posterior pars ex Hes. Th. vv. 188 sq. sumpta est; v. 3 extrema verba περιτελλομένου δ' ἐνιαυτοῦ componens auctor plane Hes. Th. v. 184 in animo habuit; denique v. 5 ab eadem voce ἀφρογενῆ incipit atque Hesiodus eiusdem fabulae v. 196; anteit autem apud utrumque poetam nomen Ἀφροδίτην.

Discrepat Orphica theogonia ab Hesiodo eo quod Venus Vulcano nubit (frg. 182 K.); at Martem quoque quemadmodum apud Hesiodum Veneris maritum dictum esse ex quodam testimonio nimis incerto (frg. 153 K.) accipimus; multa enim falsa hoc loco referuntur; itaque huius testis verbis fidem derogandam esse putem (cf. Lobeckium, Agl. I, p. 593).

Praecipue autem inspiciamus Veneris cognomina: Hesiodus Venerem ex Urani castrati semine orientem αἰδοίην appellat (v. 194), quo ex versu Orphici hoc appositum (frg. 127 K.) deprompserunt. Deinde Orphicum vocem illam Hesiodeam φιλομμειδής (v. 989) et Veneris sortem παρθενίους τ' ὀάρους μειδήματά τ'... (v. 205) in memoria habuisse ex adiectivo ἐγερσιγέλως

(frg. 183 K.) verisimile est; alterum epitheton ἀφρογενῆ traxit ex Hes. Th. v. 196.

Alio modo res se habet in frg. 184 K.; differt enim hoc fragmentum ab Hesiodo eo quod Veneris natura, quam Proclus describit, diversa est a Venere Hesiodea: sensus cosmogonicus his vocibus subest, qui utrum iam ex Orphei fabrica prodierit an ex Neoplatonicorum demum somniis incertum est: appellatur enim Venus ὑπερκόσμιος αἰτία τῆς φιλίας et eius munus est, ἵνα κάλλος ἐπιλάμπῃ τάξιν καὶ ἁρμονίαν καὶ κοινωνίαν. Etiam dilucidior res est in frg. 196 K.

Sequuntur apud Hesiodum Noctis liberi; quos in Rhapsodiis deesse putem propterea quod Noctis figura eiusque auctoritas a Nocte Hesiodea longe diversa est. Cuius ex liberis Parcas solas in Orphicis memoratas invenimus.

De Parcis.

Sed proprium Orphei est, quod hae ab Urano et Terra parentibus, nisi errat Athenagoras, procreantur[1]), quae apud Hesiodum et Noctis (v. 207) et Themidis (v. 905) filiae sint. Nomina autem eadem sunt atque Hesiodea (frg. 57 K.).

Tantum de Hellanici theogonia; in Rhapsodiis autem Necessitas Parcarum mater[2]) videtur fuisse, nisi Proclus tricas profert: in Plat. Rempubl. II p. 207 Kr. θεὸν δὲ τὴν Ἀνάγκην καὶ μεγίστην εἶναι φήσομεν, ἐπεὶ καὶ τὰς Μοίρας τὰς τῆς Ἀνάγκης παῖδας δηλώσει ὁ προφήτης ...[3]), frg. 126 K.[4]).

De Echidna.

Reliquum est, ut nonnulla verba faciam de Echidna. De qua nihil nisi unum vestigium ab Athenagora servatum exstat (frg. 58 K.). Sed magna de his versibus inter viros doctos dissensio fuit; nam Lobeckius (Agl. I, p. 493) Noctem, Phanetis filiam, hic intellegit; Schusterus autem (l. l. p. 83) versu

---

1) Diversa a theogoniis, sed congruens cum Hesiodi Theogonia est Parcarum progenies in hymn. Orph. LIX v. 1. Cf. p. 81 n. 1.

2) Cf. Plat. Rempubl. 617 b; schol. in Rempubl. 451 a p. 341 He.

3) Non exstat hic locus apud Kernium.

4) Cf., quae de hac quaestione A. E. I. Holwerda, l. l. p. 328 exposuit.

alio modo emendato de Nocte vel Erebo cogitandum esse contendit. Hodie vix quisquam has sententias amplectetur. Hesiodus enim Echidnam hoc modo descripsit (vv. 298 sqq.):

ἥμισυ μὲν νύμφην ἑλικώπιδα καλλιπάρῃον,
ἥμισυ δ' αὖτε πέλωρον ὄφιν δεινόν τε μέγαν τε
αἰόλον ὠμηστὴν ζαθέης ὑπὸ κεύθεσι γαίης.

Quam descriptionem Orphicos esse secutos non in incerto est. Nam formam monstri in theogonia Orphica eandem esse atque Hesiodeam videmus. Praeterea initium fabulae *ἄλλην . . . τεκνώσατο* concinit cum primo Hesiodi versu (v. 295); denique verba *νηδύος ἐξ ἱερῆς* (v. 2) ex Hesiodi Theogonia (v. 460) decerpta sunt.

Iam ut apud Hesiodum sic apud Orpheum conubia Titanum et suboles referebantur.

De Oceano.

Convenit Orpheus cum Hesiodo de Oceani ortu, quem supra p. 85 tractavi. Primogenitus quemadmodum in Theogonia Hesiodea Oceanus fuisse videtur; nam Proclus narrat (frg. 135 K.): *μένει οὖν οὗτος ἅμα καὶ πρόεισι μετὰ τῆς Τηθύος· συνέζευκται γὰρ αὐτῷ κατὰ τὴν πρώτην ἀπογέννησιν*, i. e. quia primus progressus sit.

Etiam in eo quod Oceanus Tethyn in matrimonium ducit Orpheus cum Hesiodo consentit. Docent hoc dua testimonia non satis diserta (frg. 15 K., frg. 25 K.); quorum prius, quod Plato ex carmine Orphico nescioquo allegat (nam quid est inter tot librorum Orphicorum titulos istud *πού*?), Rhapsodiis adscribi vix potest; potius quadrat hic locus ad illam genealogiam in alio Platonis dialogo (Tim. 40e) relatam, de quo supra p. 87 dixi[1]). Eadem ex causa etiam aliud testimonium nihilo certius Rhapsodiis attribuere non possumus. Praeterea Homerum (*Β* 755, *Ξ* 201) et Hesiodum (Th. vv. 361, 775), non Orpheum Aristoteles in mente habere videtur. Disertiora autem testi-

[1]) De aliis causis cf. Gisekeum, Rh. Mus. VIII 1853, p. 81; Schusterum, l. l. p. 4 sq.; Gruppeum, Jahrb. Suppl., p. 694; Zellerum, Phil. d. Gr. I 1[6], p. 123 n. 2.

monia sunt frg. 112 K. (= Procl. in Plat. Crat. 402 b), frg. 117 K., frg. 135 K.

Terra Titanes ad facinus contra Uranum patrandum provocat. Oceanus autem unus apud Orpheum ab impietate abhorret. Qua in re Orpheus cum Hesiodo discrepat, contra cum Apollodoro (I 1, 4) congruit: Procl. in Plat. Tim. 40e; III p. 185 Diehl: *ἐπειθ' ὅτι τῶν δύο Τιτανικῶν ἑβδομάδων ὁ μὲν Ὠκεανὸς πρόεισι καὶ μένει ἑαυτὸν ἑνώσας τῷ πατρὶ καὶ οὐκ ἀφίσταται τῆς ἐκείνου βασιλείας* ...[1]), frg. 135 K. Oceanus fugit illa *ἀτάσθαλα* facinora, quae Titanes in Hes. Th. v. 209:

> ... *τιταίνοντας ἀτασθαλίῃ μέγα ῥέξαι*
> *ἔργον*

obeunt. Uranum quoque Hesiodus *ἀτάσθαλον* appellat (vv. 164 sq.), quo loco etiam vox *λώβη* occurrit; hos igitur versus auctor versus

> *γυιώσῃ τε βίης καὶ ἀτάσθαλα λωβήσαιτο*

in mente habuisse videtur.

Oceani regnum apud Orpheum explicatius descriptum fuisse videtur. Quin etiam in quadam theogonia Orphica vel nonnullis theogoniis inter reges divinos numeratus fuit et in Urani locum regno successit: Procl. in Plat. Tim. 41 a; III p. 192 Diehl: ... *δύο μὲν τῶν πρώτων τεταγμένων, Οὐρανοῦ καὶ Γῆς, τῶν δὲ λοιπῶν ὑπὸ σελήνην, τῆς Οὐρανίας τῆς Κρονίας τῆς Διίου τῆς Διονυσιακῆς. μεταξὺ δὲ τῶνδε τῶν δύο τῶν ἐν τούτοις πρώτων ἡ τοῦ Ὠκεανοῦ παρείληπται τάξις*[2]). Deinde frg. 117 K. huc pertinere videtur: *τούτων δ' οὖν οὕτως ἐχόντων ὁ Ὠκεανὸς καὶ ἡ Τηθὺς καθ' ὅσον μένουσι καὶ ἥνωνται πρὸς τὸν Οὐρανὸν συμπαράγουσιν αὐτῷ τὴν τῶν προϊόντων βασιλείαν* ...[3]) Eodem spectant frg. 15 K., frg. 16 K., frg. 25 K.[4]), frg. 109 K. (= Procl. in Plat. Tim. 41 a), ubi Oceanus etiam inter Uranum et Saturnum positus est. Cf. porro, quae de Plat. Tim. 40 d e p. 87 dixi.

---

1) Non legitur hic locus apud Kernium.

2) Desidero hunc locum apud Kernium.

3) De hoc fragmento ab aliis alieno cf. etiam p. 91.

4) Sed. cf., quae de frg. 15 K. et frg. 25 K. p. 100, de frg. 16 K. p. 87 exposui.

Sed quod Alexand. Aphrodis. (frg. 107 K. = in Aristot. Metaphys. *N* 4 1091 b 4) refert: *καὶ ἐπεὶ πρῶτον μὲν κατ' Ὀρφέα τὸ Χάος γέγονεν, εἶθ' ὁ Ὠκεανός, τρίτον Νύξ, τέταρτον ὁ Οὐρανός* ... certe falsum est; quamquam ex hoc quoque loco Oceanum in ea quam intellegit Alexander theogonia magnam habuisse auctoritatem elucet.

Contra ex frg. 101 K. et ex frg. 107 K. (= Procl. in Plat. Tim. prooem. *E*) Saturnum, non Oceanum post Uranum regem factum esse perspicimus. Saturnum Oceanum praecellere docet etiam frg. 117 K.: *ὅτι ὁ Κρόνος ὑπέρτατός ἐστι τοῦ Ὠκεανοῦ, δεδήλωκεν ὁ θεολόγος* . . .

Videtur apud Orpheum quoque Oceanus totum mundum circumfluxisse: frg. 116 K. Audimus secundum Orpheum decem fuisse fontes, quorum novem Oceanus receperit. Sane eandem sententiam exprimunt Hes. Th. vv. 789—790.

Nescio, num huc referendum sit frg. 115 K. (= Eust. ad Dionysium Perieget. 1); nam Eustathius ex *τῷ περὶ Διὸς καὶ Ἥρας* hunc locum affert. Quos versus Rhapsodiarum theogoniae attribuendos esse Gisekeus (l. l. p. 79) Schusterus (l. l. p. 4 sqq.) Abelius (Orph. ed., p. 243) negaverunt, Kernius autem eos Rhapsodiis delegat (cf. Orph. frg. ed., p. 141). Profecto Orpheus in hoc fragmento non modo eandem opinionem, sed etiam paene eadem vocabula ac Th. vv. 789—790 exhibet, etsi pro *περὶ γῆν* praebet *γαῖαν πέριξ*.

Oceanum omnia motibus suis agitavisse saepe commemoratur; unde patet Orphicos Oceanum quoque colore cosmogonico exornavisse; cf. frg. 109 K. (= Procl. in Plat. Tim. 41 a), frg. 116 K.

Denique in frg. 167 K. (= Procl. in Plat. Tim. 28 c) Oceano idem cognomen *μέγας* attribuitur atque Hes. Th. in v. 20.

De Tethye.

De Tethyos origine atque matrimonio cum Oceano inito supra p. 85, 100 dixi. Etiam eandem cosmogonicam auctoritatem Tethys atque ille habet, quod illustrat Proclus in frg. 109 K. (= in Plat. Tim. 41 a).

De Styge.

Styx, quae apud Hesiodum Oceani filia est, saepe in Orphicorum fragmentis commemoratur. Sed ne uno quidem horum testimoniorum loco unde fluxerint certe sciscitari posse valde dolemus. Primum igitur ex iis, quae sunt de Styge, fragmentis occurrit Aristot. Metaphys. *A* 3 983 b 27 (frg. 25 K.). Gravem mehercle auctoritatem. Tamen id in suspicionem vocare ausim. Nam quae Aristoteles de Styge dicit, etiam apud Homerum (*B* 755, *Ξ* 201) et Hesiodum (Th. vv. 361, 775) leguntur. Astruitur autem mea sententia eo quod adiectivum *πρεσβυτάτη*, quo philosophus utitur, etiam Hesiodus appositum Stygi addit (v. 775).

Num auctor fragmenti 124 K. sub verbis *ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς* theogoniam Orphicam intellexerit, non satis constat. Nam Styx erat commemorata etiam in hymn. Orph. LXIX v. 4 et in eo carmine, quod inscribitur ***Εὐχὴ πρὸς Μουσαῖον*** (v. 29). Praeterea auctorem ***Καταβάσεως εἰς Ἅιδου*** copiose de Styge tractavisse censeo.

Astipulantur porro Olympiodorus (frg. 125 K.; cf. eundem in Plat. Phaedon. C III *ος′*, frg. 123 K.), unde Stygem in Tartaro ut apud Hesiodum esse sitam perspicis (etiam hic locus habet dubitationem, utrum Olympiodorus theogoniam Orphicam in mente habuerit necne[1]); praeterea tanta patet ex his verbis Empedoclis doctrinae scientia, ut hunc locum recentioribus demum Orphicis originem debere propensus sim ad credendum) et Marsilius Ficinus, De immort. anim. XVIII 10; I p. 411[2]): „... Mediis autem aerem, aquamve, et terram. Reprobis denique Acherontem, Cocytum, Pyriphlegethontem, ubi novies insuper Styx interfusa coercet", quae verba Hes. Th. v. 791 reddere nemo erit, qui his locis comparatis neget.

Denique huc pertinet frg. 295 K., quod ita cum Hes. Th. vv. 801 sqq. convenit, ut Servium huius poetae verba ante oculos habuisse paene credam.

---

1) Cf. Ettigium, l. l. p. 287 n. 1.

2) Frg. 321 Ab. Kernius hunc locum non habet.

De Sole.

In Rhapsodiis deum sui iuris, cui nomen Ἥλιος erat, omnino non exstitisse arbitror; sed Solem eundem fuisse atque Bacchum, qui inter posteriores deos potentissimus erat et splendidissimus, ex paucis quae supersunt fragmentis infra allatis verisimile est; quare etiam Apollini propter eius cum Baccho *κοινωνίαν* hoc cognomen imponitur[1]).

Quae cum ita sint, Orphicorum Ἥλιος cum Sole Hesiodeo vix comparari potest.

Commemoratur Sol in frg. 96K. = Procl. in Plat. Tim. 41c (quocum conferas frg. 207K. = Procl. in Plat. Tim. 42d; iam perspicuum est versum illum in frg. 96K. = Procl. in Plat. Tim. 41c servatum ad Iovem referendum esse; etiam aliis locis permultis Iuppiter δημιουργός appellatur: frg. 107 K. = Olympiodor. in Plat. Phaedon. 61c, frg. 134K., frg. 144K., frg. 151K. = Procl. in Plat. Tim. 28c et Theolog. Plat. V 35, frg. 152K., frg. 155K. = Procl. in Plat. Crat. 391a, frg. 162K., frg. 163K. = Procl. in Plat. Tim. 31a, frg. 167K. = Procl. in Plat. Tim. 29a et in Plat. Tim. 28c et in Plat. Parmenid. 130b = frg. 168K., frg. 191K. = Procl. Theolog. Plat. VI 13), frg. 212K.

Multa tradit de Sole Macrobius, Saturn. I 17—18, 23 (frg. 236K., frg. 237K. = Macrob. Saturn. I 18, frg. 238K. frg. 242K.); sed cum nesciatur[2]), quo ex carmine Orphico Macrobius versus decerpserit, haec fragmenta consulto praetereo. Malalam (frg. 62K. = Chronograph. IV 88, frg. 65K.) similem exhibere sententiarum seriem quam haec fragmenta praebent supra p. 73 monui. Quid? Si Macrobii loci ex carmine quodam theogoniam recentiorem leviter tangenti ducti sunt? Etiam Solis epithetum χρυσεοφεγγής in frg. 236 v. 4K.

---

[1]) Cf. frg. 62K. (= Ioann. Malal. Chronograph. IV 88 et *Μαρτύρ. τῆς Ἁγ. Αἰκατερίνης* III 11: *Φοῖβος Ἥλιος· Λητοῦς υἱ', Ἥλιε*), frg. 172K. (= Procl. Theolog. Plat. VI 12), frg. 209K. (= Olympiodor. in Plat. Phaedon. B ρκη'), frg. 212K.; Maassium, Orpheus, Mon. 1895, p. 185 n. 24; Kernium, Orph., p. 7sq., 26sq.; Wilamowitzium, Platon I[3], Berol. 1929, p. 420 n. 3.

[2]) Cf. Schusterum, l. l. p. 28sq., 29 n. 2; Dielesium, Festschr. Gomp., p. 13; Zellerum, Kl. Schr. II, p. 174; Kernium, Orph. frg. ed., p. 249; Kruegerum, l. l. p. 67.

simile est atque in frg. 62 v. 3 K. (= Ioann. Malal. Chronograph. IV 88 et *Μαρτύρ. τῆς Ἁγ. Αἰκατερίνης* III 11) et in frg. 242 K.

. . . *πατρὸς ἔχοντα νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν*

poeta, quamquam utrum Solem intellexerit an Apollinem non satis constat, Hes. Th. v. 122 (661) et v. 896 verbis *πατρὸς ἔχοντα* pro *ἔχουσαν πατρί* positis ante oculos habuit.

De Luna.

De Luna nihil apud Orphicos commemoratum invenimus nisi frg. 91 K. (= Procl. in Plat. Tim. 32 b). At horum versuum auctor nequaquam deam intellegit, sed quasi globum caelestem, propter quam astrorum cognitionem eximiam illud fragmentum recentiori demum theogoniae Orphicae recensioni addicendum esse arbitror. Tamen ante oculos habuisse videtur Hes. Th. vv. 371 sqq.

De Hecata.

Hecata, cuius in Hesiodi Theogonia (vv. 411 sqq.) longe diversa origo est, apud Orphicos Cereris filia est. In frg. 41 K. poeta ei cognomen *εὐπατέρειαν* dedit, quod apud Homerum (*Z* 292, *χ* 227) Helenam a patre Iove trahere memineris. Itaque Orphicum Hecatae quoque patrem Iovem intellexisse colligam. Eandem sententiam exprimit frg. 42 K. Callimachum hic carmine aliquo Orphico usum esse apertum est. Sed ductine sint hi loci e theogonia nescimus; ne hoc quidem dilucide disceptari potest, num omnino in Rhapsodiis Hecata, quod sit verisimile, commemorata fuerit.

Deinde nonnullis locis incertum est, utrum Orphici Hecatam intellexerint an Dianam an Proserpinam; nam hae ab Orphicis ita copulantur, ut satis discerni non possint; quas deas, quamvis distinguantur, tamen pro una habitas esse constat. Sed in frg. 188 K. (= Procl. in Plat. Crat. 406 b) Hecatae nomen ad Dianam translatum esse sine dubio est in promptu.

Porro num vates in frg. 190 K. Hecatam significaverit, in medio relinquam; neque enim ullo loco[1]) Hecata *Κόρη* appella-

[1]) De uno loco, hymn. Orph. I v. 9, cf. Maassium, l. l. p. 178.

tur, nisi afferre vis frg. illud 188 (= Procl. in Plat. Crat. 406b), quibus in versibus Diana-Hecata est *Λητοῦς εὐπλοκάμοιο κόρη* et in aequo illi ponitur; nec vero ex epitheto *μουνογένεια* quicquam lucramur; nam hoc cognomen, quod in Hesiodi Theogonia (v. 426) de Hecata invenimus, in hymn. Orphico XXIX v. 2 Proserpinae additur. Tamen cf. iterum frg. 188 K. (= Procl. in Plat. Crat. 406 b), cuius voces *τὴν ἐγκοσμίην Ἑκάτην* mirum in modum conveniunt cum eo quod *Κόρη* in frg. 190 K. *τῶν ἐγκοσμίων ἁπάντων προΐσταται.*

Denique Hecata in theogonia ab Argonauticorum auctore expedita (vv. 17, 429) celebratur; quin etiam ex eius apposito *εὐδύνατος* Hecatae numen simili modo atque in Hesiodea Theogonia laudibus praeter modum exornatum fuisse colligi potest[1]).

De Atlante.

Ab Hecata, quae apud Hesiodum Coei neptis est, ad Atlantem, Iapeti filium, transeamus. Cum dubium esse non possit, quin *Ἄτλας Τιτάν,* quem in frg. 215 K. (= Procl. in Plat. Tim. 24 e) commemoratum invenimus, nihil aliud sit nisi Procli commentum, nolo hac in re longus esse. Sane Plato hoc loco (Tim. 24 e) dicit de proelio inter Athenienses et Atlantidis insulae accolas olim commisso. Proclus autem utique philosophi verba interpretatione quadam a se excogitata ad Orphei sententias revocare vult. Itaque comparate titanomachiam affert, cuius certaminis num omnino in Rhapsodiis mentio facta sit nescimus. Athenienses igitur cum deis confert, quae contentio nullas ei praebet difficultates; nam Minerva una est ex deis. Sed ut *Ἀτλαντῖνοι* Titanibus in aequo poni possint, Atlas ipse in Titanibus numerandus est; quam Procli fraudem

---

[1]) Minus probabilis est Kruegeri sententia (l. l. p. 44). Numquam adhuc interpres quisquam Brimo eandem deam esse atque Terram ut Kruegerus asseverat arbitratus est. Immo vero omnes viri docti (Roscherus, lex. myth. ab eodem ed. I 1, p. 820; Mayerus, Gig. u. Tit., p. 237; Kernius, R. E. III 1, p. 853) Brimo eandem deam esse atque Hecatam inter se consentiunt. Ne de Proserpina quidem hic locis cogitandum esse ex eo mihi elucere videtur quod postea demum (vv. 23, 26) Proserpina appellatur.

facile perspicimus; nam locus ille, in quem incumbimus, multum habet offensionis: versus ipsos Proclus ex Hes. Th. vv. 517—518 decerpsit; verba *τὸν δὲ Ἄτλαντα* usque ad *οὐρανόν* Hes. Th. vv. 748—749 respondent. Proclus enim Atlantem caelum umeris sustentantem *ἐν τοῖς πρὸς ἑσπέραν τόποις* stetisse perhibet; similem vel eandem sententiam exprimunt Hes. Th. vv. 748—749; denique servitia Iuppiter Titanibus post Bacchi necem imponere non potest; nam Baccho discerpto Titanes comburuntur; nec vero in Tartaro ut censet A. E. I. Holwerda (l. l. p. 366—367) Titanes servitiis illis perfunguntur; nam ex frg. 158 K. (= Procl. in Plat. Rempubl. II 144 Kr.) servitia fuisse *ἐγκόσμια*, non *ὑποκόσμια* discimus. Accedit, quod Iuppiter *λήξεις* illas Titanibus tribuit *διακοσμεῖν ἀρχόμενος τὸ πᾶν*, non post Bacchi mortem ut comperimus ex frg. 158 K. (= Procl. Theolog. Plat. VI 8, qui locus comparandus est cum eiusdem fragmenti 158 K. loco priore = Procl. in Plat. Rempubl. II 144 Kr.). Proclus igitur hic Orphica non mera, sed cum propria quadam sua interpretatione, ut Platonicis accomodentur, refert. Profecto Atlas numquam in numero Titanum fuit: Atlantis nomen inter illos septem Titanes (frg. 114 K. = Procl. in Plat. Tim. 40 e) non affertur; nec vero in alterum genus Titanum, qui Bacchum interficiunt, Atlas refertur; nam Bacchus in septem partes dividitur. Sed Procli fraus non solum ipsi nocuit, sed etiam Simplicium in erroris societatem traxit; hic enim Neoplatonicus sua verba (frg. 215 K. = in Aristot. De Caelo 284 a 14) ex Proclo deprompsit.

De Prometheo.

Orpheum ne Prometheum quidem omisisse conieceris, nisi alucinatur Proclus, ex frg. 143 K. (= in Plat. Rempubl. II 53 Kr.), cuius verba *τὴν ψυχὴν ἀπὸ τοῦ νοητοῦ κατάγειν εἰς τὴν γένεσιν* ad nullum aliud carmen spectant nisi ad Rhapsodias.

De Saturno.

Sed veniamus ad Saturnum, cuius regnum apud utrumque poetam post Uranum incipit. Primum Saturni ortus ex Terra Hesiodo et Orpheo communis est, cuius rei testes sunt Athena-

goras (frg. 57 K.) et Proclus (frg. 114 K. = in Plat. Tim. 40 e). Quibus ex locis Titanes a Terra sola sine coniuge editos esse accipimus; distat ab his alius locus (frg. 128 K.), ubi Uranus Saturni pater dicitur.

Sed iam Saturni nutricatio plenius apud Orpheum exposita erat. Diversa enim ab Hesiodo sunt, quae legimus in frg. 129 K. (= Procl. in Plat. Crat. 396 b c et Damasc. De princ. 67), frg. 131 K. Unde elucet Noctem in Rhapsodiis Saturni nutricem fuisse et praecipua cura eum esse amplexam, qua de re nihil apud Hesiodum invenimus. At in Theogonia Hesiodea Terram Iovem educare scimus.

Rheam etiam apud Orphicos Saturni uxorem fuisse docent haec fragmenta: frg. 98 K. (= Damasc. De princ. 244), frg. 132 K. (= Procl. in Plat. Tim. 18 c), frg. 134 K., frg. 144 K.:

ἔστ' ἂν Ῥείη παῖδα τέκῃ Κρόνῳ ἐν φιλότητι,

cuius versus extrema pars congruit cum Hes. Th. v. 625; praeterea autem huius versus auctor[1]) Hes. Th. v. 453:

Ῥείη δὲ δμηθεῖσα Κρόνῳ τέκε φαίδιμα τέκνα

ante oculos habuisse videtur. Deinde huc pertinet frg. 145 K. (= Procl. in Plat. Crat. 403 e et Theolog. Plat. V 11).

Porro Iovem Saturni filium itidem ut apud Hesiodum dictum esse ex nonnullis testimoniis conici potest: frg. 128 K., frg. 139 K., de quo cf. p. 118 sq.

Narrat Hesiodus Terram, postquam mare montesque et Uranum ipsa ex sese procreaverit, gravidatam ab Urano edidisse duodecim liberos; hos autem genitori invisos fuisse; itaque omnes rursus in Terrae gremium absconditos esse neque in lucem emissos. Deinde Saturnum, ut finem immoderatae rerum creationi imponeret scelusque Urani ulcisceretur, Uranum patrem evirasse.

Etiam hanc fabulam Orphicos ex Hesiodo repetivisse patet ex frg. 58 K., frg. 135 K., frg. 137 K. (= Procl. in Plat. Crat. 396 b), frg. 154 K. (= Porphyr. De antro nymphar. 16). Ad idem facinus spectare videntur frg. 107 K. (= Procl. in Plat. Tim. prooem. *E*), frg. 138 K.

---

[1]) Cf. p. 120.

Liberi praeter Oceanum et Tethyn, qui scelus reformidant, duce Saturno iussu Terrae matris patrem aggrediuntur. Oceanus autem recusat, ne adversus patrem rebellet. Etiam apud Apollodorum Oceanum esse exceptum reminisceris. Ceteros autem Saturnum ducere Proclus testatur (frg. 117 K. = frg. 135 K., frg. 137 K. = in Plat. Crat. 396 b). Orphicos hic Hesiodum secutos esse in propatulo est; nam etiam apud poetam Ascraeum Saturnus princeps rei gerendae est.

In Hesiodi Theogonia Saturnus in Urani locum regno succedit et a Iove filio ex imperio exturbatur; quam successionem Orphici ex Hesiodo sumpserunt; traditur autem hoc a Proclo in frg. 101 K., frg. 107 K. (= in Plat. Tim. prooem. *E*).

Deinde legimus apud Hesiodum Saturnum ex Rhea sorore complures habuisse liberos; sed cum accepisset a parentibus, Urano et Terra, fore ut ab uno e liberis regno spoliaretur, ipsum, quo fatum eluderet, omnes, ut quisque in lucem editus esset, statim devorasse.

Etiam haec fabula in theogoniis Orphicis secundum Hesiodum relata erat: frg. 58 K., frg. 80 K.[1]) (sed paulo ante nonnulla verba occurrunt, quae ad Saturnum referuntur ab huius loci auctore, quem hac in re erravisse perspicuum est: *περὶ δὲ τοῦ ὁ πάντας καταπίνων θεούς, οὐ λέγει περὶ τοῦ Ἠρικεπαίου, ἀλλὰ περὶ τοῦ Κρόνου·* neque enim hoc loco Saturnus neque Phanes, sed Iuppiter intellegendus est), frg. 107 K. (= Olympiodor. in Plat. Phaedon. 61 c), frg. 138 K., frg. 146 K. (= Damasc. De princ. 267).

Saturnum omnes liberos, quos Rhea progignit, devorare vidimus. Deinde Hesiodus narrat Rheam petiisse a parentibus, ut viam sibi monstrarent fallendi mariti Iovisque servandi. Horum igitur consilio abisse eam in Cretae oppidum Lyctum atque ibi Iovem clam esse enixam. Quem Terram occultavisse in specu montis Aegaei, Saturno autem Rheam pro filio lapidem tradidisse.

De lapide a Rhea Saturno dato, quem ille pro filio deglutivit, Orphici cum Hesiodo consentire videntur. Habemus enim

---

[1]) Sed incertum est, num haec fragmenti pars etiam ad theogoniam Orphicam pertineat.

Nonni testimonium (frg. 80 K.); porro ex frg. 147 K. idem colligere ausim; ex voce ὑποκλέψας efficias hunc testem apud Orphicos quoque fabulam illam legisse. Neque tamen rem satis certo perspicimus, nec vero priore loco constat, num auctor, etsi paulo ante Orphei fabularum mentionem facit, etiam vocibus λέγεται γὰρ οὗτος ... theogoniam Orphicam significet.

Deinde pergit Hesiodus dicere Saturnum postea a Terra coactum omnes liberos rursus evomuisse; atque etiam hanc fabellam vatem Thracium ex Theogonia Hesiodea deprompsisse ex frg. 80 K. comperimus; sed cf., quae de hoc fragmento p. 109 n. 1 exposui.

In theogonia Orphica etiam Saturnus a filio suo eviratur atque opprimitur, qua in re Orpheus ab Hesiodo discrepat; quomodo Saturnus a Iove circumventus sit, Porphyrius narrat (frg. 154 K. = De antro nymphar. 16); praeterea huc pertinent frg. 58 K., frg. 137 K. (= Procl. in Plat. Crat. 396 b), frg. 148 K. Nox igitur affert consilium exsectionis adversum Saturnum, qui, postquam melle ebrius vertiginosusque obdormivit, vincitur, castratur. Unde intellegitur Iovem Saturno idem fecisse quod hic Urano; Orphici igitur iure talionis usi sunt, quod posterioribus temporibus saepe non solum hac in fabula[1]), sed omnino in rerum naturae contemplatione a poetis et philosophis adhibitum est. Itaque mihi haec narratio recentioris originis videtur esse; sed moneo iam Platonem (Euthyphr. 5 e) eam non ignorare.

Versus autem, quem citat Clemens Alex. (frg. 149 K.) ita cum Homeri ι 372 convenit, ut Clementi hoc loco illa Homeri verba in mentem venisse putem[2]), nisi Orpheus consulto Homeri verba iterat, ut honorem illi tribuat.

[1]) Cf. Plat. Euthyphr. 5 e; Timaei frg. 54 p. 203 Mueller (Frg. hist. Gr. I); p. 132 Geffcken; cf. etiam p. 24 n. 1; Lycophr. v. 761 et paraphras. P 762; schol. Lycophr. vv. 761, 869 Scheer (de his locis v. Reitzensteinium, Inedita poetarum Graecorum fragmenta, ind. lect. Rost. hibern. 1890—1891, p. 12). Eodem spectant Aristides XLVI 17; II p. 367 K.; schol. Ov. Ib. v. 273 p. 51 Ellis; script. rerum mythicar. Lat. tres I 105 p. 34 Bode. Cf. p. 44.

[2]) Cf. Stemplingerum, Das Plagiat in der griechischen Literatur, Lips. et Berol. 1912, p. 68.

Mirum est, quod refertur in frg. 153 K.; cuius fragmenti auctorem hic aut erravisse aut sub voce ἔδησε, quam quo loco legerat, Iovem necavisse patrem intellexisse sine dubio constat. Cf., quae de hoc loco p. 98 dixi.

Utut est, certo scimus in Rhapsodiis fabulam, in qua Orpheus Saturnum a Iove filio Terrae monitu ebriatum, castratum esse exposuerat, haudquaquam eandem fuisse atque illam, quae erat de Saturno aliquo modo liberos reddere lapidemque devorare coacto; mel enim hac sola de causa Saturno potandum dederunt, ut obdormisceret. Noli autem credere Saturnum, postquam potionem bibit, vomuisse et hac adductum intentione liberos eiecisse. Tamen hae duae fabulae inter se cohaeserint; atque Saturnus patrem propterea quod ille liberos suos devoraverat[1]) puniverit. Huc spectat porro ille versus a Damascio (frg. 155 K. = De princ. 270), Olympiodoro (frg. 155 K. = in Plat. Alcibiad. I 3), Proclo (frg. 155 K. = in Plat. Crat. 391 a et in Plat. Tim. *B* prooem. et in Plat. Alcibiad. I 103 a) laudatus

ὄρθου δ' ἡμετέρην γενεήν, ἀριδείκετε δαῖμον.

Sic Iuppiter Saturnum allocutus est *μετὰ τοὺς δεσμούς*, i. e. postquam eum vinxit ut dicit Proclus (frg. 155 K. = in Plat. Tim. *B* prooem.). Nam voce *δεσμοί* Proclus Saturni castrationem significat, quod patet ex frg. 154 K. (= Procl. in Plat. Tim. 35 b): *ὁπόταν λέγωσι τάς τε Κρονίας ἐκτομὰς καὶ τοὺς δεσμούς*. Versui igitur adhuc obscuro sensus dilucidus subest: „redde ex tuo ventre nostram progeniem“. Iam perspicuum est, cur Proclus (frg. 155 K. = in Plat. Crat. 391 a) paulo post de Saturni liberorum cataposi disputet. Inepta autem sunt, quae hac de re A. E. I. Holwerda (l. l. p. 319) exposuit.

Apud Hesiodum Saturnus post titanomachiam a filio in Tartarum demittitur; qua in fabula Orphici cum Hesiodo consentiunt; nam etiam in Orphicis theogoniis Iuppiter deorum rex factus patrem in Tartarum praecipitat; exstant frg. 58 K., frg. 220 K.

Audimus contra ex Proclo (frg. 107 K. = Procl. in Plat. Tim. prooem. *E*) Saturnum Bacchi caedi interfuisse. Quid

---

[1]) Cf. Plat. Euthyphr. 5 e: *τὸν αὑτοῦ πατέρα δῆσαι, ὅτι τοὺς υἱεῖς κατέπινεν οὐκ ἐν δίκῃ.*

hoc sibi vult? Certe alterum Saturnum Iuppiter ex sese progenuit eo tempore, cum Phanete omnique, quae ab illo orta erat, rerum universitate ingenti haustu devorata rursus omnia edens novam mundi creationem moliebatur ut per se non abiudicandus est ab Orpheo deus ullus duplex vel triplex. Etenim scimus Orpheum duo Titanum genera habuisse (frg. 210 K. = Damasc. De princ. 94) atque duplicem Venerem (frg. 127 K., frg. 183 K.).

Ne apud Saturnum quidem Orphici vel potius Neoplatonici facere possunt, quin interpretationem cosmogonicam ubique in partem vocatam ruminent: frg. 109 K. (= Procl. in Plat. Tim. 41 a). Cataposis quoque liberorum mirificas iis interpretationum ambages extorsit atque philosophia paene speculativa explanatur: frg. 155 K. (= Procl. in Plat. Crat. 391 a).

Iam properamus ad finem; restat enim, ut Saturni cognomina expendamus. Imposuisse videntur ei Orphici epitheton *μέγιστος*, quod ex haud mediocri exemplorum silva efficiam: cf. frg. 107 K. (= Procl. in Plat. Tim. prooem. *E*), frg. 117 K. = frg. 135 K., frg. 140 K., frg. 155 K. (= Procl. in Plat. Crat. 391 a). Num Saturnus cognomen *ἀγκυλομήτης*, quod Hesiodus saepe ei addit, etiam in Orphei theogonia habuerit, diiudicari non potest. Utroque loco, quo appositum illud servatum est, nihil expeditum habemus. Nam in frg. 131 K. Damascius adhibitum esse hoc epitheton ab Orpheo non diserte dicit; praeterea, ut omittam huius loci textum corruptum esse (nec vero Useneri coniectura usi sequentia verba *τὴν Νύκτα . . . πεποιηκέναι τρέφουσαν* certe intellegemus), Damascius vocem *ἀγκυλομήτης* etiam ex hymn. Orph. XIII v. 9 delibavisse potest. Alterum autem locum tradit Proclus (frg. 140 K.); ne hoc quidem ex fragmento quicquam certum habemus.

De Rhea.

De Rheae origine et matrimonio cum Saturno contracto supra p. 85, 108 verba feci. Ex Rheae cum Saturno conubio et apud Hesiodum et Orpheum Iovem procreatum esse testatur praeter ceteros scriptores supra p. 108 laudatos Proclus (frg. 114 K. = in Plat. Tim. 40 e), frg. 134 K., frg. 145 K. (= in Plat. Crat. 403 c et Theolog. Plat. V 11).

Ceterum autem Orphici Rheam eandem cum Cerere-Latona esse autumant. Similiter igitur de his deis statuendum est atque de Hecata-Diana-Proserpina, quas trinas esse quasi personas numinis unius supra p. 105 vidimus. In frg. 30 K. Rhea Iovis et mater et soror appellatur, unde Orpheum Cereris nomen cum Rhea communicare emergit; quorum nominum confusionem docent etiam haec fragmenta: frg. 58 K., frg. 59 K. (= Athenag. Pro Christian. 32), ubi Rhea Proserpinae mater nominatur (at Proserpina apud utrumque poetam Cereris filia est), frg. 145 K. (= Procl. in Plat. Crat. 403 e), ex quo elucet hanc deam, donec Iuppiter natus est, Rheam appellari, deinde, i. e. Iove nato, in Cererem se convertere. Perinde ad hanc rem spectant frg. 145 K. (= Procl. in Plat. Crat. 401 c et Theolog. Plat. V 11), frg. 153 K.

Rheae quoque Orphici potestatem dederunt cosmogonicam; tradunt hoc frg. 109 K. (= Procl. in Plat. Tim. 41 a), frg. 132 K. (= Damasc. De princ. 422 et Procl. in Plat. Tim. 18 c), frg. 133 K.

De Hestia.

Etiam Hestiam in Rhapsodiis non solum commemoratam fuisse, sed etiam quasi colorem cosmogonicum duxisse ex frg. 161 K. (= Damasc. De princ. 283) accipimus. Neque autem ullo loco certe sciscitari possumus, num hic sensus iam theogoniae in Rhapsodias dispertitae subfuerit an a Neoplatonicis demum omnia ad allegorias et philosophiae arcana revocantibus Orphei verbis subiectus sit.

De Plutone.

Plutonem Proserpinam rapere cum Hesiodo Orpheus consentit. Narrat enim Hesiodus (v. 913):

ἣ τέκε Περσεφόνην λευκώλενον, ἣν Ἀιδωνεὺς
ἥρπασε ἧς παρὰ μητρός.

In Rhapsodiis eandem fabulam esse lectam verisimile est. Cum autem in *Τελεταῖς* quoque (in his numero[1]) frg. 192 K. = Procl.

[1]) Sine iusta causa Kruegerus (l. l. p. 57, 61) Clementis testimonia (frg. 50 K. = Protr. II 17, frg. 52 K. = Protr. II 20) ex *Τελεταῖς* proficisci asserit; cf. Rohdeum, Kleine Schriften II, Tub. et Lips. 1901, p. 360 sqq., 361 n. 1.

in Plat. Tim. 41 b c propter eius similitudinem cum Procl. Theolog. Plat. VI 11 et frg. 195 K. = Procl. Theolog. Plat. VI 11 propterea quod ex primis vocibus satis patet, unde fluxerint, et locum antecedentem frg. 198 K.) *Κόρης ἁρπαγή* exarata fuerit, non certe scimus, num fragmenta, quae sunt de Proserpina, omnia e theogonia mutuata sint. Deinde Proserpinae raptum singillatim et discretim in diversis carminibus Orphicis, quae *Κάθοδος τῆς Κόρης* vocantur, descriptum fuisse moneo. At etiam in Rhapsodiis illius raptus mentionem factam esse nemo infitias ibit. Nam in Rhapsodiis Proserpina a Cerere procreatur; in Rhapsodiis Proserpina a Iove arripitur aufertur stupratur; in Rhapsodiis Proserpina parit Bacchum; porro Proserpina nubit *τῷ τρίτῳ δημιουργῷ* (frg. 197 K. = in Plat. Crat. 406 b), quod ex nullo alio carmine Orphico proficisci potest nisi rursus ex Rhapsodiis, quia in his tantum illi tres *δημιουργοί* commemorati erant. Quae cum ita sint, quidni Rhapsodiarum auctorem Proserpinae raptum exposuisse existimes? Immo vero Proclus excerpta, quae infra afferam, Rhapsodiis debere mihi videtur; praeterea semper respiciendum est inter omnia Orphei carmina longe conclamatissimam fuisse theogoniam, ad quam omnia fere fragmenta in Neoplatonicorum libris exstantia spectant.

Proserpinam a Plutone raptam esse ex frg. 195 K. (= Procl. in Plat. Crat. 402 d) comperimus[1]); deinde in Rhapsodiis Pluto Proserpinam in matrimonium ducit (frg. 197 K. = Procl. in Plat. Crat. 406 b, si Plutonem *τρίτον δημιουργόν* putas, et in Plat. Crat. 404 d), quod Hesiodus, quamquam e vv. 768 sqq. patescere videtur, tacet. Atque Proserpina ex eo Furiarum mater fit.

Denique apud utrumque poetam Pluto imperium noctis opacae umbrarumque tenet regnum: frg. 195 K. (= Procl. in Plat. Crat. 402 d), frg. 197 K. (= Procl. in Plat. Crat. 404 d); cf. Hes. Th. vv. 455, 768, 850.

---

[1]) Frg. 43 K. potius vel ad Orph. Arg. v. 1195 vel hymn. Orph. XVIII vv. 14—15 spectat.

De Iove.

Iam properamus ad Iovem, ad quem Saturni imperium et apud Hesiodum et Orpheum transfertur.

De Iovis natalibus supra p. 108, 112 disputavi. Iovem nutritum atque custoditum esse in Terrae antro Hesiodus auctor est (vv. 482 sq.); quam fabulam a poeta Ascraeo compilatam Orphicos paululum commutavisse Hermias exponit (frg. 105 K.). Omnino in theogonia Orphica Iovis nutricatio per Idam et Adrasteam atque Curetum et Corybantum custodia, quam Hesiodus ignorat, copiosius exhibita fuisse videtur (frg. 105 K., frg. 151 K. = Procl. in Plat. Crat. 396b et in Plat. Tim. 28c et Theolog. Plat. V 3 et Theolog. Plat. V 35, frg. 152 K., frg. 162 K., frg. 191 K. = Procl. Theolog. Plat. VI 13).

De Iovis uxoribus ac liberis infra p. 119—129 verba faciam.

De Iovis facinoribus contra Saturnum patrem obitis supra p. 110, 111 dixi. Iuppiter igitur patrem non solum castrat sed etiam in Tartarum deicit. At difficultas posita est in eo quod ignoratur, num Iuppiter etiam Titanes in Tartarum praecipitaverit; deinde quaerendum est, num omnino in Rhapsodiis vel alia theogonia Orphica illa pugna inter deos ac Titanes commissa sit commemorata. Si quidem Saturnus ut supra p. 110 ex nonnullis fragmentis didicimus melle ebrius factus consopitus castratus est, quaeras, cur, cum ille iam eviratione devictus sit, praeterea titanomachia fuerit describenda; porro aliquod vestigium huius proelii atrocis sive in theogoniae Orphicae fragmentis sive apud alium poetam philosophum scriptorem nobis occurrere opineris; neque autem quicquam eiusmodi invenitur nisi afferre vis frg. 58 K., frg. 122 K. (= Procl. in Plat. Tim. 25 cd et in Plat. Tim. 24e et in Plat. Rempubl. I 93 Kr.). Quorum priore in fragmento auctorem *πατρί* opposuisse *Τιτᾶνας* monendum est, qua ex re Iovem illum non eadem poena atque hos affecisse concludere possumus. Neque tamen his verbis plane fidem habendam esse arbitror; nam pater ecclesiasticus aut neglegentia adductus aut ut ethnicorum daemonum profanorum scelera augeret ex diversis fontibus fabulas congessit maxime impias; illa quoque narratio, quam refert verbis *Κρόνος μὲν ὡς . . . κατέρριψεν αὐτὸν* (i. e. Uranum) *ἀπὸ τοῦ ἅρματος,* neque ex Rhaps-

odiis neque ex alia theogonia Orphica ducta videtur esse; praeterea Athenagoras potius Hieronymi ex theogonia quam ex aliis excerpta sua hausit. Etiam ex alio loco (frg. 122 K. = Procl. in Plat. Rempubl. I 93 Kr.) nihil proficimus; nam perspicuum est verba *παρὰ τοῖς Ὀρφικοῖς* haudquaquam pertinere ad *τὸν πρὸς Δία πόλεμον*, sed tantum ad *τὰς καταταρταρώσεις*, quas auctor affert etiam eiusdem fragmenti priore loco[1]) (= Procl. in Plat. Tim. 25 c d), i. e. Cyclopum-Centimanorum atque Saturni *καταταρταρώσεις*. Denique ex verbis *ἀντίθεσις* (frg. 122 K. = Procl. in Plat. Tim. 25 c d) et *ἀντιτάττειν* (frg. 122 K. = Procl. in Plat. Tim. 24 e) Proclum sub his vocibus titanomachiam intellexisse colligere vix possumus. Nam haec *ἀντίθεσις* appellatur *δημιουργική*, quod adiectivum adhiberi numquam potest ad pugnam aliquam describendam. Eodem modo altero loco res se habet.

Hisce omnibus perpensis defuisse titanomachiam in theogonia Orphica contendere ausim haud immemor, quam lubrica sit haec coniectura. Titanes autem una cum Saturno in Tartarum demissos esse nullo loco traditum est[2]).

Iovem in Saturni locum regno succedere ut apud Hesiodum docent frg. 101 K., frg. 107 K. (= Procl. in Plat. Tim. prooem. *E*), frg. 220 K.; cf. frg. 129 K. (= Procl. in Plat. Crat. 396 b c), frg. 155 K. (= Procl. in Plat. Crat. 391 a).

In Hesiodi Theogonia Iuppiter imperium suum ordinans

---

1) Etiam hac in re Kruegerus (l. l. p. 48) erravisse mihi videtur. Refert enim voces *πρὸς τῷ πέρατι τῆς δημιουργίας* ad Titanes propter Bacchum distractum in Tartarum relegatos, tamquam si illa verba habeant sensum: eo tempore, cum Iovis *δημιουργία* erat finita, decerpens hanc sententiam ab A. E. I. Holwerda, l. l. p. 367. Sed cum Bacchus interimeretur, Iuppiter iam dudum regnum ad illum *νέον θεόν* detulerat atque ille regali dignitate gaudebat. Contra Proclus his verbis significat Saturni *δημιουργίας* finem. Nam Saturnus cum imperare absisteret, in Tartarum amandatus est. Cf. p. 118 n. 1.

2) Kruegerus (l. l. p. 48) Iovem regno potitum Titanes in caelo (sic!) vinxisse asseverat frg. 122 K. (= Damasc. De princ. 205) perverse explicans; neque enim Damascius hoc loco de vinciendo disputat, sed corpus universitatis opponit singulis membris, i. e. vires in Urano coniunctas (*ἐν οὐρανῷ δεδεμένοι*) atque vires segregatas, quarum quaeque partem Urani quandam in se continet (*οὐρανὸν ἐν ἑκάστῳ εἶναι*).

honores inter deos, qui a suis partibus steterant, distribuit opesque dividit (vv. 112, 885; cf. Goettlingii verba, Hes. carm. ed.[3], p. 18: „ἄφενος est mundus divisus in tres partes, occupatas a Iove, Neptuno, Plutone.") Eodem modo etiam apud Orpheum Iuppiter munera deis distinguit: Procl. in Plat. Tim. 28 c; I p. 314 Diehl: *ὁ τοῖς θεοῖς τὰς ἐξουσίας παραδιδοὺς τοῖς τε ἄλλοις καὶ τοῖς τρισὶ Κρονίδαις.*

Numen Iovis mundo instaurato in Rhapsodiis magnis laudibus celebratum fuit et exornatum grandibus verbis; atque permulti scriptores hunc hymnum servaverunt, inter eos Ps.-Aristot. *Περὶ κόσμου* 7 401 a 25 (frg. 21 a K.), cuius auctor in v. 5:

Ζεὺς πνοιὴ πάντων, Ζεὺς ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμή

Hes. Th. v. 566 clausulam *ἀκαμάτου πυρός* iteravit et in v. 8:

πάντας γὰρ κρύψας αὖθις φάος ἐς πολυγηθὲς

Hes. Th. v. 157 aperte in mente habuit, Porphyr. ap. Euseb. (frg. 168 K. = Praep. ev. III 9), cuius fragmenti v. 31:

πάντα δ' ἀποκρύψας αὖθις φάος ἐς πολυγηθὲς

iterum secundum Hes. Th. v. 157 compositus est, Aristocritus Manich. (frg. 169 K. = Theos. Tubing. 50), cuius v. 8:

ναίουσ' ἀθάνατοί τε θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι

una voce excepta casu mutato cum Hes. Th. v. 302 (588) congruit; alterum autem hemistichium iam Hes. Th. in v. 535:

καὶ γὰρ ὅτ' ἐκρίνοντο θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι

exstat. Omnino in theogoniae Orphicae versibus, qui sunt de Iove, saepe Hesiodi clausulae retentae sunt: in frg. 228 c K.:

ψυχὴ δ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ἐκ Διός ἐστιν

media in parte paene eadem verba usurpata sunt quae Th. in v. 949 (277). Aeque frg. 337 K., quod in incertae sedis fragmentis positum est, quamquam nihil obstare videtur, quominus ex Rhapsodiis sumptum sit, v. 2:

ἠδ' ὅσοι οὐκ ἀλέγουσιν ἀναιδέα θυμὸν ἔχοντες

eandem extremam partem ac Th. v. 833 praebet.

Tum in frg. 107 K. (= Syrian. in Aristot. Metaphys. *N* 4 1091 b 4) Iuppiter eodem modo *ἀθανάτων θεῶν βασιλεύς*:

ἀθανάτων βασιλῆα θεῶν πέμπτον σε γενέσθαι

appellatur ac Th. Hes. in vv. 884, 886, 897, 923.

In eodem fragmento 107 (= Alexand. Aphrodis. in Aristot. Metaphys. *N* 4 1091 b 4) Iuppiter sic describitur: *καὶ οὗτος* (sc. Orpheus) *γάρ φησιν ὅτι τὸ ἀγαθὸν καὶ ἄριστον ὕστερόν ἐστι τῶν ἄλλων. ἐπεὶ γὰρ τὸ βασιλεῦον καὶ κρατοῦν τῆς τῶν ἁπάντων φύσεώς ἐστι τὸ ἀγαθὸν καὶ ἄριστον, ὁ δὲ Ζεὺς βασιλεύει καὶ κρατεῖ, ὁ Ζεὺς ἄρ' ἐστὶ τὸ ἀγαθὸν καὶ ἄριστον.*

Omnino Orphici in numine Iovis celebrando Hesiodum secuti sunt; nam Hesiodus totam per Theogoniam eo tendit, ut Iovem potentissimum deorum regem laudet. Simili modo Orpheus nuncupat Iovem *δημιουργὸν τῶν ὅλων*: frg. 134 K., frg. 151 K. (= Procl. Theolog. Plat. V 35), frg. 152 K. (?), frg. 167 K. (= Procl. in Plat. Tim. 29a et in Plat. Tim. 28c), frg. 191 K. (= Procl. Theolog. Plat. VI 13) et Proclo teste Iovem *φανερὰ ἐξ ἀφανῶν* perfecisse praedicat (frg. 109 K. = Procl. in Plat. Tim. 41a), quamquam Hermias his vocibus aliter utitur in frg. 109 K. (= in Plat. Phaedr. 247d).

Apud Hesiodum Iuppiter est ultimus deorum rex. Omnibus enim de regno adipiscendo laboribus absolutis eum in omne tempus in deos hominesque regnare e Theogonia discimus. Differt tamen ab his theogonia Orphica. Legimus enim Iovem Baccho quamvis iuveni sceptrum tradidisse. Nec diu Bacchus in regno manet. Titanes eum Iunonis impulsu adoriuntur, crudeliter discerpunt, in septem partes quemadmodum ipsi septem sunt dividunt. Deinde Iuppiter iracundia inflammatus eos fulminibus obruit, quae gesta iam supra p. 93 commemoravi. Postea e Titanum Iovis fulgure percussorum fuligine homines exsistunt[1]).

Denique epitheta, quibus Iuppiter in theogonia Orphica ornatus est, ex Hesiodo deprompta sunt: cognomen *εὐρύοπα*, quod Hesiodus Iovi imponit in vv. 514, 884, legitur etiam in frg. 139 K., quod num ex Rhapsodiis sumptum sit an aliunde

---

[1]) Kruegerus (l. l. p. 48) Rohdei (Psyche II $^{9+10}$, p. 116 n. 2) sententiam parum ingeniose repetens Titanes post Bacchi caedem a Iove in Tartarum relegatos esse pronuntiat, quae fabula nusquam tradita est. Cf. p. 116 n. 1.

venerit non satis disceptari potest. Haud scio, an Lactantius hic erraverit aut consulto hos versus in tantam brevitatem contraxerit, qua Rhapsodiarum auctor vix usus erit. Utut est, in v. 2:

ἐκ δὲ Κρόνου γένετ' αὐτὸς ἄναξ μέγας εὐρύοπα Ζεύς

ultimae voces eaedem sunt atque Hes. Th. in v. 514.

Appositum *μέγας*, quod Hesiodus Iovi attribuit in vv. 29, 76, 81, 465, 479, 708, 952, 1002, apud Orpheum in frg. 139K., frg. 338K. invenimus. In frg. 168 v. 20K. (= Porphyr. ap. Euseb. Praep. ev. III 9):

ἧ λήθει Διὸς οὖας ὑπερμενέος Κρονίωνος

illa Hes. Th. v. 534 clausula *ὑπερμενέι Κρονίωνι* paululum mutata est; in fragmento 338K., quod nullam loci notam adscriptam habet, etiam epitheton *αἰγίοχος* occurrit, quod Hesiodus saepe Iovi addit; quos versus singillatim afferre longum est neque necessarium. Verborum autem conexio *Διὸς μεγάλοιο*, quae in frg. 338K. legitur

υἱὲ Διὸς μεγάλοιο, πάτερ Διὸς αἰγιόχοιο

in Hes. Th. vv. 708, 952 eosdem versus pedes explet; item ultimis vocibus *Διὸς αἰγιόχοιο* Hesiodus saepe versu exeunte quasi formula utitur (vv. 25, 52, 735, 966, 1022).

De Metide.

In Hesiodi Theogonia prima Iovis uxor Metis numeratur[1]); apud Orpheum autem de ea nulla nos littera docet, nisi illud Phanetis cognomen afferre vis. Hesiodus igitur haec fere tradit: Iuppiter deorum rex factus primam uxorem sibi iunxit Metin, Oceani filiam. Mox autem eam intra alvum suam recondidit, cum, ne Minerva, quam Metis primum paritura erat, ab illa, sed ipsius ederetur ex capite neve altero partu Metis parere posset filium, quem Terra atque Uranus praedixerant, si in lucem ederetur, pro Iove esse regnaturum, tum, ut indita ipsi Metis semper se moneret, quid faciendum, quid-

[1]) Cf. Robertium, Mél. Nic., p. 485; Kernium, Rel. d. Gr. I, p. 261; Snellium, Philolog. Suppl. XX 1 1928, p. 29; Dornseiffium, Arch. Myth., p. 20; eundem, Philolog. LXXXIX 1934, p. 397; Wilamowitzium, Kl. Schr. V 2, p. 44.

que fugiendum esset. Orphici hanc fabulam Phanete pro Metide substituto ex Hesiodo deprompserunt, dico Phanetis cataposin. Iuppiter enim novam mundi creationem moliens ut omnia in se contineat Phanete potitur ipsumque omnemque qui ab eo creatus fuerat mundum primigenium absumit et in suum corpus condit, unde mox omnia ex sese emittit. Quare illud Phanetis cognomen *Μῆτις* facile explanatur.

De ceteris Iovis coniugiis, quae ab Hesiodo percensentur, in Orphica theogonia haec commemorata invenimus:

De Themide.

Themidem Iovis coniugem dictam esse eiusque filias Horas ex quodam Procli testimonio quamvis non satis diserto conici potest (frg. 144 K.). Incertum autem est, utrum Proclus Rhapsodias in mente habuerit an hymnum Orphicum XLIII v. 1, quo loco Themis etiam Horarum mater appellatur.

Ex eodem fragmento 144 K. comperimus huius quoque deae numen cosmogonico modo fuisse decoratum; quamquam enim Proclus nullum auctorem affert, tamen hunc locum Orpheo attribuendum esse putem propter illos *χρησμοὺς τῆς Νυκτός*.

De Eunomia.

De Eunomiae origine modo dixi. Ex frg. 181 K. audimus cosmologum amplum munus Eunomiae in mundo instituendo assignavisse.

De Iustitia.

Iustitiam apud Orpheum unam fuisse ex Horis, i. e. Iovis et Themidis filiam, Proclus docet (frg. 144 K., de quo cf., quae commodum exposui, frg. 181 K.); abhorrent autem ab hac genealogia, quae legimus apud Hermiam: frg. 105 K. = frg. 159 K. (= in Plat. Phaedr. 248 c), frg. 159 K. (= in Plat. Phaedr. 247 d).

Primo obtutu ex Hermiae verbis (frg. 105 K.) Iustitiam atque Adrasteam Iovem nutricari concluseris[1]). Sed Hermias *ταύτας*, quae *λέγονται τρέφειν τὸν Δία*, Idam, de qua paulo ante

---

[1]) Cf. Kernium, Jahrbuch des archäolog. Instituts III 1888, p. 235.

verba fecit, et Adrasteam mihi apud Apollodor. I 1, 6 eandem fabulae formam referri cogitanti intellexisse videtur.

Iustitia magnam habuit auctoritatem in Rhapsodiis; subsequitur enim Iovem mundum ordinare incipientem: frg. 158 K. (= Procl. in Plat. Rempubl. II 144 Kr. et Theolog. Plat. VI 8 et in Plat. Tim. 41 c), frg. 160 K. (= Procl. in Plat. Tim. 28 c). Porro ad Rhapsodias alludere videntur Procli verba in frg. 160 K. (= in Plat. Alcibiad. I 109 c), cum auctorem sequentium vocum *πάρεδρος γὰρ ὁ Νόμος τοῦ Διός* Orpheum nuncupet[1]).

Denique ex frg. 181 K. etiam de Iustitiae munere erudimur.

De Pace.

Etiam Pacem, cuius ortum supra p. 120 tractavi, in theogonia Orphica commemoratam fuisse testatur Proclus in frg. 181 K.

Hesiodus Horarum sortem uno versu complectitur (v. 903). Orpheus contra hunc versum ad unamquamque Horam traxisse videtur.

De Gratiis.

Inter Themin et Cererem poeta Ascraeus Gratiarum matrem Eurynomen interponit. Nec vero in Rhapsodiis Gratias defuisse conici potest ex frg. 181 K. Aglaien autem Vulcano nubere ut apud Hesiodum Proclus testis est (frg. 181 K., frg. 182 K.).

De Cerere.

Iovem etiam Cererem ut apud Hesiodum sic apud Orpheum in matrimonium duxisse hocque ex concubitu Proserpinam procreatam esse multis locis nobis traditur: t. 224 v. 21 sqq. K., frg. 58 K., frg. 145 K. (= Procl. Theolog. Plat. V 11), frg. 188 K. (= Procl. in Plat. Crat. 406 b). Huc pertinent porro frg. 59 K. (= Athenag. Pro Christian. 32), frg. 153 K. Ab-

[1]) Futtilia sunt, quae Kruegerus (l. l. p. 17) exposuit. Neque enim Iustitia in Orphicorum theogonia est Iovis *πάρεδρος*, sed *Νόμος*: frg. 160 K. (= Procl. in Plat. Alcibiad. I 109 c et in Plat. Tim. 28 c); cf. Neustadtium, De Iove Cretico, diss. Berol. 1906, p. 6. Potius Ps.-Demosthenis locus ad *Τελετάς* spectat; cf. Gisekeum, l. l. p. 87 sq., Dieterichium, Nekyia², p. 139.

horret autem ab Hesiodo, quod ex Iovis et Cereris conubio Hecata progignitur; neque hoc nobis Hecatae nomen ad Cereris ac Latonae filias translatum esse cogitantibus mirum videtur; testes autem sunt: schol. Ap. Rh. (frg. 41 K.), schol. Theocrit. (frg. 42 K.)[1]), Proclus (frg. 188 K. = in Plat. Crat. 406 b).

Ceterum Orpheum Cereris nomen cum Rhea-Latona communicare supra p. 113 monui; discimus enim ex frg. 145 K. (= Procl. in Plat. Crat. 403 e) Rheam, ubi primum Iuppiter natus est, in Cererem mutatam esse. Eandem sententiam exprimunt frg. 30 K., frg. 58 K., frg. 59 K. (= Athenag. Pro Christian. 32), frg. 145 K. (= Procl. in Plat. Crat. 401 c et Theolog. Plat. V 11), frg. 153 K. Itaque etiam inter Titanides Ceres enumeratur (frg. 145 K. = Procl. Theolog. Plat. V 11).

Nec vero ea, quam Hesiodus (vv. 912, 971) intellegit, Ceres, dico esculentorum inventricem, in Rhapsodiis deerat: frg. 189 K.

De Proserpina.

Proserpinae natales commodum disserui. Item eam in theogonia Orphica a Plutone raptam, in matrimonium ductam esse, ex eo Furias peperisse exposui. Orphicorum autem proprium est Proserpinam genuisse *τῷ τρίτῳ δημιουργῷ* novem filias; testatur enim hoc Proclus in frg. 197 K. (= in Plat. Crat. 406 b), cuius versus:

ἐννέα θυγατέρας γλαυκώπιδας ἀνθεσιουργούς

ab iisdem vocibus atque Hes. Th. v. 76 initium capit, si casum conversum esse neglegimus. Sed quaerendum est, quem Proclus vocibus *τῷ τρίτῳ δημιουργῷ* significare voluerit. Si verba Procli de Plutonis et Proserpinae coniugio intellegenda sunt, illae *θυγατέρες* sunt Furiae. Sed obstat, quod tres tantum Furiae exstitisse solent veluti etiam in hymn. Orph. LXVIII v. 2. Potius hoc loco de Musis cogitandum esse existimaveris, ad quas numerus novenarius quadret. Apollini enim Proserpina enititur *ἀγλαὰ τέκνα*[2]) in frg. 194 K. (= Procl. in Plat.

[1]) Cf., quae de frg. 41 K. et frg. 42 K. supra p. 105 expedivi.

[2]) Maassius (l. l. p. 187 n. 26) has Proserpinae ex Apolline filias Furias putat.

Crat. 404 e). Quae sententia si verior est, ille *τρίτος δημιουργός* est Apollo propter suam *κοινωνίαν* cum Baccho-Sole (cf. frg. 62 K. = Ioann. Malal. Chronograph. IV 88 et *Μαρτύρ. τῆς Ἁγ. Αἰκατερίνης* III 11, frg. 172 K. = Procl. Theolog. Plat. VI 12, frg. 209 K. = Olympiodor. in Plat. Phaedon. B *ρκη'*, frg. 212 K., supra p. 104 n. 1). Sed ad hanc interpretationem impedimento est, quod tertius demiurgus Pluto esse solet; cf. Lobeckium, Agl. I, p. 549 n. b; frg. 195 K. (= Procl. in Plat. Crat. 402 d), Procl. in Plat. Crat. 402 b p. 83 sq. Pasqu., Procl. in Plat. Tim. 32 c; II p. 56 Diehl.

Utcumque res se habet, in frg. 194 K. (= Procl. in Plat. Crat. 404 e) priore versu:

αὐτὰρ Ἀπόλλωνος θαλερὸν λέχος εἰσαναβᾶσα

alterum hemistichium idem est atque Hes. Th. in v. 939 (508); in altero autem versu:

τέξεαι ἀγλαὰ τέκνα πυρὶ φλεγέθοντα προσώποις

Orpheus Hes. Th. v. 366 (644) clausulam *ἀγλαὰ τέκνα* repetit.

Nec vero satis de his; denique Proserpina a patre ipso incestatur: frg. 58 K., frg. 59 K. (= Athenag. Pro Christian. 32), frg. 153 K., frg. 195 K. (= Procl. in Plat. Crat. 402 d). Postea Proserpina a Iove compressa Bacchum edit, quod testantur Athenagoras (frg. 58 K., frg. 59 K. = Pro Christian. 32) et Iul. Firmicus Maternus (frg. 214 K. = De err. profan. relig. 6).

Proserpinam cum Hecata et Diana copulari, quam Orphei proprietatem iam supra p. 105 commemoravi, docent frg. 41 K., frg. 42 K.[1]), frg. 188 K. (= Procl. in Plat. Crat. 406 b).

Proserpina, Plutonis uxor, in Tartaro quemadmodum apud Hesiodum habitat, loca inferna administrat, regina apud inferos facta est, implet eos quasi novo animo. Huc spectant frg. 195 K. (= Procl. in Plat. Crat. 402 d), frg. 197 K. (= Procl. in Plat. Crat. 404 d).

Utrum in frg. 190 K. de Proserpina cogitandum sit necne, i. e. utrum Orpheus Proserpinae cognomen *μουνογένεια* imposuerit, incertum est; neque enim Proserpina *τοῖς ἐγκοσμίοις* praeest, sed *τοῖς ἐσχάτοις, χθονίοις, τελευταίοις,* neque est

---

[1]) De frg. 41 K. et frg. 42 K. cf. p. 105.

τῶν ἐγκοσμίων προϊσταμένη καὶ τῶν μονογενῶν ζῴων αἰτία, sed *τῆς ζῳογονίας τῶν μερικῶν πάντων προϊσταμένη* (frg. 196 K.) et *τῶν μεριστῶν ζῳοποιὸς αἰτία* (frg. 192 K. = Procl. in Plat. Tim. 41 b c). Lobeckius (Agl. I, p. 545) hoc loco Hecatam putat, A. E. I. Holwerda (l. l. p. 363) Proserpinam. Ceterum cf. p. 105 sq.

De Mnemosyne.

De Mnemosyne praeter natales supra p. 85 tractatos nihil in Rhapsodiis traditur, quod oleat ex Hesiodo, nisi cognominis similitudo. Hesiodus enim hanc deam appellat *καλλίκομος* (v. 915); contra Orpheus ei epitheton *βαθυπλόκαμος* attribuit (frg. 114 v. 4 K. = Procl. in Plat. Tim. 40 e).

De Musis.

Num de Musis in Rhapsodiis sermo fuerit, non satis constat. Iam de earum ortu, qui apud Hesiodum longe diversus est, magna exsistit dubitatio; nam admodum ambiguum est, num Orpheus Musas in frg. 194 K. (= Procl. in Plat. Crat. 404 e) et in frg. 197 K. (= Procl. in Plat. Crat. 406 b) intellexerit. Cetera fragmenta, in quibus Musae commemorantur (frg. 38 K., frg. 39 K.), unde sumpta sint, nescimus. Audimus hic Musis *θαλίας* placere; eandem sententiam iam Hesiodus exprimit Th. in v. 917.

De Latona.

Disertiora testimonia sunt de Latona, cuius filius Apollo, filia Diana dicuntur quemadmodum iam Hesiodus (v. 918) narrat: cf. frg. 62 K. (= Ioann. Malal. Chronograph. IV 88 et *Μαρτύρ. τῆς Ἁγ. Αἰκατερίνης* III 11), frg. 188 K. (= Procl. in Plat. Crat. 406 b). Semper autem respiciendum est Latonam in Orphica theogonia non diversam fuisse a Rhea et Cerere: v. frg. 188 K. (= Procl. in Plat. Crat. 406 b).

De Apolline.

De Apollinis origine, nuptiis cum Proserpina conciliatis, liberis ex hoc matrimonio productis supra p. 122, 124 verba feci. Porro dissentit ab Hesiodo, quod Apollo commercium habuit cum Diana sorore (frg. 153 K.); sed cf., quae de hoc

loco p. 98 exposui. Apollinem apud Orphicos cum Phanete-Baccho copulari posteaque etiam cum illis nomen *Ἥλιος* commune habuisse[1]) non mirum nobis videtur (cf. p. 104 et n. 1); nam Orphici putabant esse unius naturae formas multiplices pluresque unius numinis personas, quamquam sua quaeque munia suasque actiones habeat. Cf., quae de Rheae-Cereris-Latonae et Hecatae-Proserpinae-Dianae unitate p. 105, 113 dixi. Itaque Apollo in frg. 62 v. 3K. (= Ioann. Malal. Chronograph. IV 88 et *Μαρτύρ. τῆς Ἁγ. Αἰκατερίνης* III 11)[2]) alatus est *χρυσέαισιν πτερύγεσσιν*[3]) veluti Amor-Phanes apud Aristoph. Av. v. 697 et in frg. 78K. (= Herm. in Plat. Phaedr. 246e) iisdem quoque verbis.

Denique Apollini in frg. 62 v. 5 K. (= Ioann. Malal. Chronograph. IV 88) idem epitheton *ἑκηβόλος* attribuitur atque Hes. Th. in v. 94; eiusdem fragmenti v. 2:

πανδερκές, θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσων

paene omnes voces ex Hes. Th. v. 506 (837) depromptae sunt.

De Diana.

De Dianae natalibus matrimonioque cum Apolline supra p. 124 locutus sum. Aeque eius *κοινωνίαν* cum Hecata-Proserpina, quae patet in frg. 42K., frg. 188K. (= Procl. in Plat. Crat. 406b), saepius (p. 105, 123) commemoravi. Etiam Dianae Thraciae vocabulum Bendin poeta adhibet: frg. 200K. Una enim et eadem dea Hecata quod attinet ad deam caelestem Luna, in terris Diana, locis infernis Hecata appellabatur; tamen poeta hic pro Hecata posuit *Πλουτώνην* propterea quod Hecata-Proserpina habitat in Tartaro et Plutonis uxor est; cuius versus:

Πλουτώνη τε καὶ Εὐφροσύνη Βενδῖς τε κραταιά

media pars eodem versus loco iam in Hes. Th. v. 909 legitur.

---

1) Cf. Buechsenschuetzium, De hymnis Orphicis, diss. Berol. 1851, p. 27. V. etiam frg. 242K., frg. 297 v. 10K., hymn. Orph. XXXIV v. 25, qui comparandus est cum frg. 54K.

2) Sed cf., quae de Malalae locis p. 73 adnotavi.

3) Cf. hymn. Orph. VI v. 2, in quo hae voces iisdem versus locis leguntur.

Simili modo Dianae apud Orphicos cum Hecata-Proserpina et Minerva nomen *Κόρη* commune erat; ex frg. 187 K. = frg. 197 K. (= Procl. in Plat. Crat. 406 b) elucet ***Κόρην***, quod ad Dianam et Minervam attinet, virginem mansisse, quod ad Proserpinam attinet, nupsisse viro.

Postremo Dianam etiam quasi specie cosmogonica indutam fuisse docet frg. 210 K. (= Procl. in Plat. Tim. 35 a).

De Iunone.

Inter Iovis uxores Iuno erat praestantissima apud Hesiodum. Orphicos autem cum eo concinere patet ex multis fragmentis huc pertinentibus (frg. 59 K. = Athenag. Pro Christian. 32, frg. 98 K. = Damasc. De princ. 244, frg. 112 K. = Procl. in Plat. Crat. 402 b, frg. 132 K. = Procl. in Plat. Tim. 18 c, frg. 153 K., frg. 163 K. = Procl. in Plat. Tim. 31 a et in Plat. Tim. 41 d).

Iuno Titanes ad Bacchi necem impellit; cuius rei causa nullo loco commemorata est. Invenimus Iunonem ad Bacchi caedem evocantem in frg. 107 K. (= Olympiodor. in Plat. Phaedon. 61 c), frg. 210 K. (= Nonn. Abbas Or. II in Iulian. 35), frg. 214 K. (= Iul. Firmic. Matern. De err. profan. relig. 6), frg. 220 K. Cur igitur Iuno Titanes ad hoc scelus inducit? Puto Iunonem aemulari Proserpinae, quae ex Iove Bacchum conceperit. Etiam apud Hesiodum Iunonen aemulam sine concubitu Vulcanum peperisse memineris (v. 927); similem autem sententiam exprimunt illa Iul. Firmic. Matern. verba (frg. 214 K. = De err. profan. relig. 6).

Ne Iunonem quidem in mundo ordinando otiosam fuisse discimus ex frg. 109 K. (= Procl. in Plat. Tim. 41 a), frg. 163 K. (= Procl. in Plat. Tim. 41 d).

De Marte.

Ex liberis a Iove et Iunone procreatis Martem solum in Rhapsodiarum fragmentis invenimus: frg. 153 K. Venus Martis uxor est quemadmodum in Hes. Th. v. 933. Abhorret autem ab his, nisi alii carmini Orphico adscribendum est, frg. 45 K., unde elucet Aeginam Martis uxorem fuisse.

De Diona.

Una ex Titanidibus superest (nam apud Orpheum septem Titanides habemus), quae deest apud poetam Ascraeum, in Orphica theogonia contra in Iovis uxoribus numeratur, dico Dionam, cuius natales supra p. 85 rettuli. Cum hac dea Iuppiter concumbens semen in mare proicit, cuius e spuma Venus emergit: frg. 183 K. Quam fabulam secundum Hesiodi exemplum compositam esse in propatulo est; nam apud Hesiodum Venus ex Urani Terram amplecti parantis genitalibus in mare delapsis oritur (vv. 176 sqq.).

De Minerva.

Sed de Iovis matrimoniis hactenus[1]); sequitur nunc in Hesiodi Theogonia ortus Minervae, quae ex patris capite prosilit (v. 924); quam fabulam ex Hesiodo haustam ab Orphicis esse iteratam non dubio testimonio constat (frg. 174 K.); sed de eius matre apud Hesiodum ante partum absorpta nihil ex Orphicis memoratur. Deinde Minervam nubere Vulcano, quo de matrimonio nullum in Hesiodea Theogonia exsistit vestigium, legimus in frg. 153 K., de quo cf. p. 98.

Consentit porro Orpheus cum Hesiodo Minervam armis tumultuque delectari ut perhibet Hesiodus (v. 925 sq.); Orphei locum invenimus in frg. 174 K., cuius versus:

ὅπλοις λαμπομένην χαλκήϊον ἄνθος ἰδέσθαι

exordium in memoriam revocat Hes. Th. v. 186; exstat istic verbum *λάμπομαι* eodem versus loco coniunctum cum nomine eandem rem significanti.

Rursus conspirat Orphica theogonia cum Hesiodo (vv. 574 sq.) in eo quod Minerva arte texendi instructa est: frg. 178 K. (= Procl. in Plat. Crat. 389 b c et in Plat. Parmenid. 130 c), cuius loci prioris v. 1:

ἥδε γὰρ ἀθανάτων προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων

alterum hemistichium poeta ex Hes. Th. v. 79 (361) delibavit, frg. 180 K. (= Syrian. in Aristot. Metaphys. *B* 2 997 b 34).

---

1) De Necessitate, Iovis uxore, (frg. 162 K.) cf. A. E. I. Holwerda, l. l. p. 328.

Denique etiam Minervam modo cosmogonico exornatam fuisse docet frg. 179 K. (= Herm. in Plat. Phaedr. 247 c).

De Vulcano.

Vulcanum apud Orpheum in matrimonium ducere Aglaien Minervam Venerem supra p. 98, 121, 127 pronuntiavi. Hunc deum Orpheus teste Proclo (frg. 178 K. = Procl. in Plat. Crat. 389 b c) *ἄλλης ἰδίως ἔφορον τέχνης* appellavit, quae verba in memoriam redigunt illum Hesiodi versum 929:

ἐκ πάντων τέχνῃσι κεκασμένον Οὐρανιώνων.

E frg. 178 K. (= Procl. in Plat. Parmenid. 130 c = frg. 180 K.), frg. 179 K. (= Herm. in Plat. Phaedr. 247 c), frg. 180 K. (= Procl. in Plat. Tim. 23 d e) patescit Rhapsodiarum auctorem Vulcanum in regno mundi symbolice gravi muneri praefecisse, i. e. etiam Vulcanum colore cosmogonico indutum fuisse.

De Baccho.

Bacchus Rhapsodiarum tam diversus est a Baccho Hesiodeo, ut hi dei comparari vix possint. Differt iam procreatio; rursus distat auctoritas; nam cum Hesiodus Bacchi nomen in stemmatibus commemorare satis habeat, theogonia Orphica in eius maiestate praedicanda desiisse videtur. Commune est utrique Baccho nihil nisi Iuppiter pater ut supra p. 123 exposui. At in frg. 36 K., frg. 199 K. (= Procl. in Plat. Tim. 30 b) Bacchus ex Iovis femore provenit, quamquam aliis locis Proserpinae filius est. Itaque A. E. I. Holwerda (l. l. p. 364—365) hanc fabellam non lectam fuisse in Rhapsodiis contendit. Unde illi loci proficiscantur, non satis constat[1]). Lobeckius (Agl. I, p. 581) Procli verba ad Thebanum Semelae[2]) filium pertinere credit; neque autem de Semela ullum vestigium nobis occurrit. Contra scimus aliis in carminibus Minervam cor Bacchi a Titanibus interfecti et in septem partes divisi relictum Iovi tradidisse; deinde Iovem Bacchi cor devoravisse; corde autem

[1]) Cf. Zellerum, Kl. Schr. II, p. 149 n. 2.

[2]) Iovem Semelae partum septemmestrem suo femori insuisse apud multos poetas legimus. Cf. Prellerum, l. l. p. 662 n. 2.

intus concepto proseminavisse iterum Bacchum; haud scio, an hic Bacchus in frg. 36 K. et frg. 199 K. (= Procl. in Plat. Tim. 30 b) intellegendus sit.

Nonnulla verba facienda sunt de theogoniae Orphicae compositione atque indole. Iam vidimus, quam similis sit theogoniae Orphicae forma atque Hesiodeae. Commune est utrique poetae prooemium, quamquam differt argumentum; deinde et apud Hesiodum et Orpheum sequuntur rerum primordia (Chaos, Aether, Nox, Erebus, Terra). Etiam vicissitudines deorum regum atque ordines apud utrumque poetam idem sunt: Uranus Saturnus Iuppiter sese excipiunt. Porro miscentur iam ut apud Hesiodum sic apud Orpheum longiores narrationes hymnique genealogiis; nam praeter stemmata habemus in Theogonia Hesiodea: Urani evirationem, Veneris ortum, titanomachiam, Typhonis pugnam; in Rhapsodiis: Urani, Saturni exsectionem, Bacchi necem, Phanetis cataposin novamque mundi creationem; in hymnis numerandi sunt apud poetam Ascraeum vv. 188—206, quo loco Hesiodus Veneris ortum potentiam honores praedicat, vv. 411—452, in quibus poeta Hecatae numen ac beneficia multis verbis celebrat, apud Orpheum frg. 21 a K. (= Ps.-Aristot. *Περὶ κόσμου* 7 401 a 25), frg. 168 K. (= Porphyr. ap Euseb. Praep. ev. III 9), frg. 169 K. (= Aristocritus Manich. in Theos. Tubing. 50).

Hesiodus litem, quam habuerat cum fratre, incommodaque sibi ab illo allata aegre tolerans primus de vita humana deperdita secum meditabatur. Itaque dum vitam nostram asperam trahimus, nobis mala ferenda esse nosque nihil in vita videre nisi calamitates et curas putabat; quam sententiam evidenter exprimit in narratione de prima muliere vitae hominum addita, qua Iovis malevolentia in homines exponitur. Nunc omnia mala supra terram sparguntur: Iuppiter altitonans mortalibus dat: paupertatem, maerorem, labem, dolum inexplicabilem, nocumentum immedicabile, luctum, aegritudinem, detrimentum, exitium, excidium. Simili modo homines in v. 563 miseri appellantur, nisi corrupta est lectio *μελέοισι*.

Hunc sensum Orphici ab Hesiodo deprompserunt amplificaverunt exaedificaverunt, his sententiis totum carmen im-

pleverunt: magnas partes agebat generis humani vitiositas insita, cuius auctores Titanes sunt; nam homines e Titanum Iovis fulmine percussorum fuligine orti erant. Huc pertinent e. g. frg. 9 K., frg. 210 K. (= Plutarch. De esu carn. I 996 c), frg. 233 K. (= Ioann. Malal. Chronograph. IV 91). Etiam in theogonia ab Argonauticorum auctore descripta genus hominum *λυγρόν* (v. 18) et *ὀλιγοδρανές* (v. 430) vocatur.

Saepe Hesiodus aliquas res abstractas humana specie induit veluti *Ἀπάτην, Φιλότητα, Γῆρας, Ἔριν, Πόνον, Λιμόν, Ἄλγεα, ψευδέας Λόγους,* quae exempla facile augeri possunt. Etiam hac in re Orphici eum secuti sunt; multis Rhapsodiarum locis vocibus nonnullis tanta inest personificatio, ut haec vocabula quasi personae loquentes usurpentur; affero: *Ἀνάγκην, Νόμον, Εὐσέβειαν, Εἱμαρμένην, Εὔκλειαν, Εὐθένειαν, Εὐφήμην, Φιλοφροσύνην.*

Fabulas, quae sunt de deorum certaminibus, viri docti, qui ea subtilius et ratione quadam cogitandi, quam philosophicam dicere licebit, adhibita tractaverunt, ita interpretati sunt, ut diversas aetates mundi per gradus perfecti et ad hunc, qui nunc est, statum perducti statuerent mundique nondum perfecti etiam dominos minus perfectos cogitarent, qui divinam quidem naturam haberent, sed quasi incohatam tantummodo iisque, qui post orti essent, virtute et sapientia inferiorem. Huc spectant in Hesiodi Theogonia fabellae, quae sunt de Titanibus vinctis, Urano evirato, Saturno liberos suos devoranti, titanomachia, Typhonis pugna. Multo autem dilucidior res est iterum in Rhapsodiis, dico Phanetis cataposin.

Hesiodum per totam Theogoniam ad Iovis laudem tendere in propatulo est; itaque sensum monotheisticum Theogoniae Hesiodeae subesse paene contendam. Eodem valent Rhapsodiarum sententiae. Maxime hic Phanes afferendus est; nam hic est apud Orpheum admodum unus summus deus, cuius ceteri omnes dumtaxat ministri legumque et consiliorum exsecutores videantur. Deinde quod Iuppiter Phanetem-Metin ipsum mundumque primigenium absumit et in suum corpus condit, i. e. cum Metide-Sapientia coniunctus novi mundi creator fit, Orphici hoc haustu pantheisticum rerum omnium in Iove significare volebant complexum, qui tamen etiam

monotheisticus appellari potest. Cf. frg. 21 a K. (= Ps.-Aristot. *Περὶ κόσμου* 7 401 a 25), frg. 168 K. (= Porphyr. ap. Euseb. Praep. ev. III 9), frg. 169 K. (= Aristocritus Manich. in Theos. Tubing. 50).

Semper autem respiciendum est apud Orphicos omnes deos colore cosmogonico esse exornatos. Id enim mihi pro percepto liquet theogoniam Orphicam potius fuisse allegoriam philosophicam quam manuale dogmaticum aut piarum fabellarum vel genealogiarum libellum. Maxime huc pertinet iterum Phanes; nam cum Hesiodus Amoris nomen tantum commemorare satis habeat, in theogonia Orphica Phanes est demiurgus et architectus totius mundi; cf. Procl. in Plat. Tim. 42e; III p. 313 Diehl: *ὥσπερ γὰρ αὐτὸς ὁ Φάνης τῶν ὅλων δημιουργὸς τὸν σύμπαντα κόσμον κάλλιστον καὶ ἄριστον εἰς δύναμιν ἀπέφηνεν* . . .[1]).

Restat, ut pauca addam de Orphei ratione et usu loquendi. Sed Rhapsodiarum elocutionem et rem metricam scite praetermitto[2]). Nobis theogoniae Orphicae fragmenta perscrutantibus haud exiguus occurrit numerus imitationum, quae reddunt Hesiodi sermonem. Vatem enim Ascraeum libenter versari in etymologiis supra commemoravi (cf. p. 4 n. 1). Idem studium docent t. 224 v. 16 K., frg. 56 K. (= Apion ap. Clem. Roman. Homil. VI 5—12), frg. 57 K., frg. 73 K., frg. 75 K. (= Etymol. M. p. 787), frg. 82 K. (= Procl. in Plat. Tim. 39e), frg. 113 K., frg. 181 K., frg. 183 v. 5 K., frg. 237 vv. 6—7 K. (= Macrob. Saturn. I 18).

Deinde prolepsim (cf. p. 10) invenimus in frg. 85 K. (= Procl. in Plat. Crat. 391 d e), in quo dei, quamquam illo tempore nondum exstiterunt, tamen Phaneti nomen imponunt. Eodem spectat frg. 107 K. (= Syrian. in Aristot. Metaphys. *N* 4 1091 b 4 = frg. 108 K.), frg. 108 K. (= Simplic. in Aristot. Phys. IV coroll. de loco; I p. 641 Diels)[3]).

Denique non praetermittendum est iam ut Hesiodum (vv. 27—28, 298—299, 434 sq., 833—835 passim) sic Or-

---

[1]) Apud Kernium hunc locum non legis.

[2]) Cf. Gruppeum, Jahrb. Suppl., p. 742; Kernium, Rel. d. Gr. II, p. 150; aliter Gnomon XI 1935, p. 478.

[3]) Cf. A. E. I. Holwerda, l. l. p. 307.

pheum frequentius usum esse epanaphora; cf. frg. 21 a vv. 1—7 K. (= Ps.-Aristot. *Περὶ κόσμου* 7 401 a 25), frg. 114 vv. 1—2 K. (= Procl. in Plat. Tim. 40 e), frg. 168 vv. 1—5, 6—7 K. (= Porphyr. ap. Euseb. Praep. ev. III 9), frg. 169 vv. 1—2, 5—6 K. (= Aristocritus Manich. in Theos. Tubing. 50), frg. 189 vv. 1—3 K., frg. 224 b vv. 3—5 K. (= Procl. in Plat. Rempubl. II 338 Kr.), qui versus respondent Hes. Th. vv. 833—835, frg. 228 c d K.

His omnibus perpensis theogoniam Orphicam quamvis diversam a Theogonia Hesiodea tamen non solum quod attinet ad singulos deos ac deas, sed etiam in carminis compositione indole sermone cum Hesiodo consentire apparet. Plurimas deorum fabulas Orpheus aut eodem prorsus aut simili atque Hesiodus modo narravit. Quin etiam persaepe Orphici quasi fures ex Hesiodo versuum partes desumpserunt, nisi, ut poetae Ascraeo honores tribuerent, eius verba attulerunt.

Curriculum vitae.

Natus sum Hans Buse a. d. XII Kal. Jun. anni h. s. VIII in oppido Ellrich sito ad Hercyniam silvam, ubi pater meus sacris procurandis sacerdos evangelicus praeerat. Domi primis litterarum elementis imbutus gymnasium frequentavi Merseburgense. Maturitatis testimonium adeptus universitates adii Berolinensem Hamburgensem Halensem, ut studiis philologicis incumberem, praecipue linguae Germanicae Graecae Latinae. Docuerunt me praeter alios viri clarissimi Baesecke, Borchling, Cassirer, Dessoir, Diehl, M. Hermann, Kapp, Kern, Klingner, Liebert, Menzer, Norden, Petsch, F. I. Schneider, H. Schneider, Snell, Utitz. Quibus omnibus gratiam semper habebo quam maximam, imprimis vero Ottoni Kern, qui hac in commentatione perficienda consilio atque opera benignissime me adiuverit.